DE RATIONE SOLVENDI SOPHISMATA SOLIDE ET PERSPICUE

ex P. RAMI logica deducta & explicata

Libri duo,

QVIBUS

Docetur, Dialecticam P. Rami, nec, propter omissam doctrinam Sophistices, imperfectam, nec Calvinistici erroris matrem esse:

Et præcipua Iohannis Piscatoris, atq; aliorum quorundam, inusitatas propositiones tollentium, & tropum in verbis Cœnæ constituentium Sophismata refelluntur:

Authore

M. HEIZONE BUSCHERO Hannoverano, Scholæ patriæ Rectore.

Editio tertia auctior & emendatior.

Lege: non pœnitebit.

Excusi impensis Andreæ Hoffmanni, Bibliopolæ Uuitebergensis.

M. D. XCIIII.

GENERIS SPLEN-
DORE ET INGENII
DOTIBVS ORNATISSIMIS ADOLE-
ſcentibus; Simoni ab Halle, Henrico Allewein, Ioachimo Teichmeier: Ioanni & Theodoro Gualteris, fratribus; diſcipulis ſuis ſuaviſsimis,

S. P. D.

M. HEIZO BUSCHERUS.

EDideram anno ſuperiore elēchos meos, hoc eſt, obſervationes logicas, de ratione ſolvendi ſophiſmata, ex Dialectica Pet. Rami deſumtas: quos ita avidè ab artium ſtudioſis, aliisq; viris bonis exceptos audio, ut omnia exemplaria, etiam bis térve in locis diverſis, me neſciente, excuſa, diſtracta ſint, multiq; id-

eò novam à me editionem expectent, nõ solùm ut verum artis Logicæ usum inde perspiciant, sed ipsum etiam fundamẽtum & primam originem possint cognoscere controversiæ illius de cœna Domini, quæ inter me & Ioannem Piscatorem, alió sque divinæ veritatis hostes Calvinianos hoc anno graviùs agitari cœpit. Quæ res me movit, ut denuo Elenchos meos recognoscendos sumerem, & nova aliqua editione multorum expectationi satisfacerem.

Diligenter itaq; editionem priorem relegi, &, quæ typographica vitia inter excudendum irrepserant, sedula emendatione sustuli: nonnullis etiã in locis declarationem adieci, nec

non

non exemplorũ aliorum ſophiſticorum refutatione inſerta ipſum opus auxi.

Idq́; ita nunc recognitum in lucẽ denuo emitto, omnibúſque veritatis tum fidei tum ſophiæ ſtudioſis animo liberali communico, ut porrò ſtudiosè has noſtras meditationes legentes, verum artis Logicæ uſum inde hauriãt, & à fraudibus Calvinianis ſtudiosè ſibi cavere diſcant: habeántque quod opponant illis, qui philoſophicas diſputationes rebus Theologicis miſcendas eſſe non cenſent. Etſi enim veritas Theologica regulis philoſophicis determinari non poſſit, tamen cùm adverſarii principiis artium contra nos abutãtur, utile eſt & omnino neceſſarium,

rium, oſtendere, quomodo iiſdem armis, quibus oppugnamur, hoſtes noſtri profligari, & ſuo quaſi gladio jugulari queãt: cujus rei exempla clariſsima in libello hoc noſtro exhibentur.

Vobis verò, ingenui, & mihi chariſsimi adoleſcentes, hanc ſecundam meam editionem offero & conſecro, perpetui mei erga vos amoris & benevolentiæ ſignum clariſsimum, & veſtri ſtudii ardoriſq; erga veritatem cæleſtem & ſapientiam humanam non argumentum ſolùm, ſed incitamentum etiam efficaciſsimum.

Accipite ergo munuſculum hoc, qua decet animi cupiditate, & noctes diéſque legendo, relegendo, recordando, ſæpiùs evolvite

volvite: ut fructus inde ad vos redeat amplissimus, quem sedulo candidoq; lectori certò pollicemur. Valete. Hannoveræ ex Museo nostro, Idib. Iulii, Anno à partu Salutifero 1594.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

DUÆ SUNT CAUSSÆ, *lector candide, quibus ego adductus, imò penè compulsus sum ad recognoscendum & publicandum hunc laborem, veritatis nempe & innocentiæ defensio, & salutis communis propagatio.*

Veritas enim etsi tanta eius vis est & facultas, ut sua luce vel in mediis tenebris splendescat, suumq́; honorē per se tueri poßit: tamen non rarò multorum oculi ita fascinantur calumniis aliorum, mentes tam crassa præconceptæ opinionis caligine occupantur, ut lucem hanc, quamvis clarißimam, nec agnoscere, nec pulchritudinem tantam animo concipere poßint. Id quod Cicero præclarè testatum facit lib. 1. de Nat. Deorum his verbis: Obest plerunq; iis, qui discere volunt, autoritas eorum, qui se docere profitentur; desinunt enim suum adhibere judicium, & id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Et tantum opinio præjudicata sæpius potest, ut etiam sine ratione valeat autoritas. Verißimè hoc quidem à Cicerone dictum est, sed multò

verius

veriùs de hoc seculo etiam dicetur, quòd magnorum hominū, nō tam virtute quàm opinione autoritas tantum possit, ut sæpe etiam valeat, non modò sine ratione, sed etiam contra rationem. Plurimos enim reperias, qui ut Comicus ait, nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectum putant, aliorum facta cum virtute conjuncta, & opera præclara reprehendunt, cavillantur, calumniis traducunt, metuentes, ne sibi pars gloriolæ ex inanissimis splendoris insignibus collectæ præripiatur.

Veritas sæpe premitur calumniis aliorum.

Quid enim est, quæso, aliud, quòd multi hoc seculo tam acerbi & iniqui judices in condemnando P. Rami studio extiterunt, nisi cæca ignorantia divini illius laboris, & præceps invidia, quibus agitati nullo modo pepercerunt optimo viro, de re literaria bene merito, sed veluti furentes, famam honestissimam calumniis fœdissimis conspurcarunt, laborem sanctissimum condemnarunt, artes opera illius optima methodo descriptas ex scholis extrudere & ad tartara relegare desudarunt. Atque ut de reliquis taceam confictis criminibus, quibus omnia illius viri studia suspecta non juventuti solùm, sed magnis etiam prin-

Osores P. Rami quid spectent.

cipibus & scholarum fautoribus reddere voluerunt: Dialecticam, quæ veluti dux & regina est artium reliquarum, gravissimis & maximè insignibus duabus calumniis hactenus presserunt.

Calumniæ duæ adversus Dialecticam Rami confictæ.

Prima est, quòd imperfecta sit, & omnes numeros absolutos non habeat: altera, quòd principia errorum Theologicorum in animos discentium spargat: atq; ita non modò inutilis sit ad docendum & discendum, sed etiam pestifera & noxia juventuti.

Hæc ita magnis clamoribus proferuntur, & quasi fulminibus quibusdam verborum simpliciorum pectoribus imprimuntur. At si intelligens argumentorum pondera & rationum momenta, quibus utuntur ad allatæ calumniæ probationem, rectè & accuratè consideraverit, ex arena illos funem nectere, cribro aquam haurire, & veluti cæcos de colore judicare videbit. Si enim quæras ex ejusmodi judicibus an unquam vel capitulũ in Dialectica Rami legerint, & veram præceptorum mentem perceperint, respondent, se nunquam legisse, nec unquam lecturos esse. Proh Deum immortalem, quid est, si hæc non contumelia

&

& injuria est? Reúsne ita inaudita caussa condemnabitur? Videamus tamen, quantum utraq; tam acerba, tam virulenta, tam iniqua accusatio valeat.

Principiò ajunt, imperfecta est Rami Dialectica, non solùm quòd caret doctrina prædicabilium & prædicamentorum, sed etiam, quòd nõ proponit & explicat doctrinam Sophistices, seu rationem solvendi vitiosa argumenta, quæ logicæ pars non minima est, & exercitationem disputationum potissimum regit & gubernat. Ex quo fit, ut alumni Rameæ disciplinæ jejuni sint disputatores, & inepti ad refutationem solidam vel unius Sophistici argumenti proferendam. Manifesta hæc calumnia est & indocta accusatio: atq; cùm urgentur rationibus, & experientia contraria convincuntur, nec primi illius criminis actionem obtinere possunt: furore magis accensi fiunt acerbiores, & ultimo hoc telo Ramum è scholis profligare, atq; è societate hominum exterminare conantur. Magnis enim buccis acerbum virus evomunt & nota detestabili fœdissimè polluunt Dialecticæ Rameæ studiosos, asserentes, sine discrimine omnes

Calumnia prima.

Rami Dialectica est imperfecta.

Calumnia altera, Ramistæ sunt calvinistæ.

mnes Ramistas esse Calvinistas, & caussam tam latè serpentis erroris esse unicam Rami Dialecticam in scholas Germaniæ introductam. Quis verò non exhorrescat tam iniquam, impiam, virulentam, etiam à doctis, qui & boni videri volunt, & sunt etiam, audiens sententiam.

Vero consentaneum est, multos sic loqui ex ore aliorũ, nec caussæ vim intelligere, plurimos verò pendere ab autoritate & sententia suorum magistrorum, & præconcepta opinione in tam absurda judicia præcipites ferri. Quare & spes magna nobis affulget, eos, qui boni natura sunt, caussa bene cognita, multò aliter & rectiùs quidẽ judicaturos esse. Et hac spe excitati hactenus multi extiterũt, qui & Rami præcepta suis commentationibus illustrarunt, & plerasq; cavillationes publicis literis diluerunt: & nos etiam, quantum feret ingenii mediocritas, pro veritate pugnabimus.

Refutatio calumniæ primæ.

Prædicamentorum & prædicabilium doctrina an logica sit & quatenus ad eam pertineat, aliàs, ut meministis, à nobis disputatum est, & publico mox scripto ostendemus.

So-

Sophistica autem an pars sit artis, & quomodo ex arte cognoscenda, hoc libello disputatur. Qui nunc iterum prodit in lucem, ut ostendat rationibus, multisq́ exemplis comprobet, Sophisticam nec propriè in arte ut partem necessariam tradendam, nec hactenus ab aliis sufficienter explicatam esse: sed vera artis præcepta certissimum ferre judicium non solùm de veritate, sed etiam de quolibet fuco & argumento Sophistico: idq́ multò tutiùs & certiùs præstare Dialecticam P. Rami, quàm aliorum. Ex quo diligens lector intelliget, vanum esse commentum de imperfectione Dialecticæ, & Rameorum inscitia solvendi vitiosa argumenta.

Sophistica non est pars artis

Porrò in hoc opere plurima adhibuimus exempla Theologica, & quidem ex caussa Sacramentaria, eademq́ ad Rameorum præceptorũ normam examinavimus. Singulariter autem refutanda nobis sumpsimus Sophismata Ioannis Piscatoris, qui nuper quæstionibus suis Rhetoricis imperitæ juventuti persuadere voluit, in verbis cœnæ (Hic panis est corpus meum) necessariò secundum artis regulam tropum esse constituendum. Eamq́ sen-

Refutatio secundæ calumniæ

Piscator tollit inusitatas propositiones expositione tropica.

tentiam pluribus demonstrare conatur in responsione sua ad D. Hoffmannum, in qua tamen quædam retractat, quædam verò addit de propositionibus inusitatis. Quæ omnia cùm plausibiliter disputet, & orationis splendore ita involvat, ut fucus ab inexercitatis nón facilè animadverti poßit: duxi necessarium, præmonere juventutem, & falsitatem ex fontibus ipsis aperire & detegere adhibito instrumento logicæ Rameæ, ut videant omnes boni & æqui judices, Rami doctrinam adeò non confirmare, defendere, aut propagare errores Sacramentariorum, ut etiam vix commodius instrumentum logicum aliud cum verbo DEI conjungi poßit, ad detegenda & refutanda adversariorum Sophismata de tropis in verbis Cœnæ, de essentialibus notis corporis, & similibus. Clarißimè enim, DEO juvante, demonstrabimus, Sophismata sectæ Calvinisticæ Rami præceptis prorsus esse contraria, & his cum verbo DEI junctis, illa solidißimè refutari posse.

Rami logica non juvat Calvinistas, sed magis refellit.

Quamobrem si legere has meditationes nostras boni viri non dedignati fuerint, πέποιθώς οἶδα, *aliter eos sensuros, & juventu-*

tem

tem non ab hujusmodi studiis abstracturos esse, sed adducturos. Quem finem si apud aliquos saltem assequuti fuerimus, erit nobis quod Deo gratias agamus immortales, & gratulemur veritati, quæ tandem erumpet, & omnium invidorum tenebras suo lumine obscurabit. Sin verò parum apud pertinaces obtinuerimus, gaudebimus tamen in hoc, quòd duo fortißima tela è manibus ipsorum hoc labore sint excussa, nec poßint illi amplius simpliciorum, qui vel leviter saltem hæc inspexerint, animos præoccupare. Iuventuti Rameæ disciplinæ studiosæ vel hoc nomine gratulabimur, quòd accipiant ita ex manibus nostris, quo retundant adversariorum clamores, sanam doctrinam magis confirment, & feliciùs exerceant.

Quod si qui volent accuratiùs disputationis Calvinianæ vanitatem cognoscere, legant Exercitationes nostras, Ioannis Piscatoris responsioni, hoc anno, oppositas: Et simul intelligent, iniquißimos esse istos judices, qui turpißima hac calumnia Rameæ disciplinæ studiosos premere conantur.

Ac

Alia occupatio de contemptu Philippi.

Ac deniq; obijcitur, eos, qui Ramum recipiunt, Philippum contemnere, flagellare, quotidie criminibus & maledictis lacessere? Credo: fingent illi tandem pisces in arena natare. Ipsa luce clarius est, eos, qui verè Ramei sunt, Philippum magnifacere & exosculari, non solùm quia bene meritus est de Repub. literaria, sed etiam quòd ejus doctrina mirificè consentiat cum doctrina P. Rami, eamq; non parum illustret atque confirmet. Hinc rotunda illa P. Rami præcepta copiosiore & valde perspicua Philippi doctrina sæpissimè explicamus in his scholis: quinetiam in hoc nostro libello illius viri autoritatem pro defensione Rameæ doctrinæ aliquoties adducimus. Et brevi per DEI gratiam ad oculum ponemus consensum Philippi & Rami, præsertim in quæstionibus gravioribus de materia artis & forma, demonstrabimusq; Philippum jam tum cùm sua scriberet, Rami præcepta & ordinem probasse, & nunc si viveret, approbaturum esse.

Ramistæ amant & commendant Philippum.

Altera caussa editi libelli est salus juventutis.

Sed de prima parte satis: Venio nunc ad alteram caussam, salutem nempe communem pubis studiosæ, quæ nos impulit, vt hæc con-

ſilia communicaremus, vt hac veluti manuductione quadam juventus ſtudioſa ad verum uſum & exercitationem præceptorum Dialecticorum deducatur. Nam ætas tenera licet ex parte ſenſum veritatis multa & aſsidua inſtitutione præceptorũ & longo uſu percipiat: non tamen adeò ſagax eſt & felix, ut falſitatem objectam ſtatim cognoſcat & celeriter eam refutare poſsit: Sed opus eſt ad hanc rem magna experientia & multis annis. Quia verò ſapientiæ ſtudioſus non ſolùm non fallere, ſed etiam fallentẽ deprehendere debet, plurimumq́ conducat vitia iſta noſſe, ne vel à nobis ipſis in meditationibus noſtris, vel ab aliis in diſputationibus decipiamur: operæpretium me facturum putavi, ſi Sophiſtices cognitionem ex veritate logicorum præceptorum aperirem, & hac ratione juventutis ſtudia juvarem.

Vtilitas Sophiſtices.

Itaq; diligenter oſtendi, quomodo ex regulis veritatis falſitas poſsit refutari: multisq́ illuſtribus exemplis ſingula & inuentionis loca & diſpoſitionis capita declaravi. Quæ ſi diligenter perlegerint & obſervaverint ſtudioſi adoleſcentes, pluraq; conſimilia exempla

adhibuerint & frequentes in ejusmodi exercitio fuerint: dubium nullum erit, quin multam accessionem logicæ scientiæ sint facturi; expeditam dicendi, promptam judicandi, certam defendendi, celerem refutandi facultatem sint adepturi. Qui per se oculatus est, omniúmque viarum logicarum plenam habet cognitionem, ei his admonitionibus nihil erit opus.

Rogo tamen eundem, quicunq; etiam fuerit, ne opus hoc nostrum temerè improbet, aliisq́; odiosum reddere laboret, sed locum ipsi apud volentes tam diu esse patiatur, donec ille melius quiddam proferat in lucem, aut rationibus firmis, quare hoc vel illud improbandum sit, demonstret.

IN-

INDEX CAPITUM, QUÆ utroque libro continentur.

LIBRI I.

Libri II.

Liber

LIBER PRIMUS

DE SOPHISTICA FORMÆ IN syllogismo.

CAPUT I.

Quid Sophistica, & unde ratio solvendi vitiosa argumenta sumi possit.

SOPHISTICA simulata quidem est, at non vera sapientia, sub specie veri fallens & decipiens.

Sophistica quid.

Hinc syllogismus Sophisticus à Philippo definitur, *qui constat ex falsis, sed tamen speciem veri habentibus.*

Cùm autem sapientis sit officium, ut ait Aristoteles: *Non solùm non fallere, sed etiam fallentem deprehendere:* Necessarium vel inprimis ducunt multi, certis quibusdam regulis aperire rationem solvendi vitiosa argumenta, ne vel ab aliis fallamur, vel fallamus nos ipsi. Hinc logico corpori Sophisticam veluti membrum nativum addidêre.

Atqui nec jure id factum est: nec sufficienter ratio solvendi vitiosa argumenta explicata.

An logicæ pars sit Sophistica.

Sophistices doctrina in arte non est homogenea.

Principio enim certò statuendum est, nullum de vitiis præceptum in doctrina virtutis esse homogeneum: quippe quòd opposita uni subjecto non conveniant, nec sit necessum, cùm veritatem docueris, falsitatis rationem aperire. Veritas enim falsitatis interpres est, & rectum index est sui & obliqui.

Prudens est & accuratum Dn. Philippi de hac doctrina judicium in libro 4. ubi inquit: *Vetus dictum est, contrariorum eandem esse doctrinam* (*h. e. ex veris præceptis facilè dijudicari posse omnem falsitatem*) *ut qui rectè pingere cervum didicit, judicare potest ex iisdem præceptis picturam cervi vitiosam.* Idem esto judicium de quibuslibet artium axiomatibus, quæ sunt & esse debent certissimæ regulæ, quibus omnis virtutis ratio possit ostendi & explicari, omne item vitium discrepans ab istis regulis, notari & demonstrari.

Sic Grammatica docet virtutes loquendi, Arithmetica numerandi, Musica canendi, idque præceptis perpetuò veris, homogeneis & catholicis: de vitiositate verò præceptum nullum. Grammatica cùm docuit rectam & veram Syntaxin Adjectivi & Substantivi esse in convenientia generis, numeri & casus: non contrà docet rationem

Hoc Simile non congruit: quia vitia grammatica ponuntur sub specie vitii: at Sophismata Dialectica fiunt sub specie veri: ut agnosci sine adminiculo artis nequeant.

refu-

refutandi aut cognoscendi saltem solecismum & barbarismum, quòd is facilè ex regula data judicari possit. ut, si quis dicat *malos mulier*, non opus hîc est nova regula, quæ doceat solecismum esse, si genere, numero & casu voces discrepent: sed puer interrogatus ex regula Syntaxeos data, respondebit exemplum hoc vitiosum esse, quòd nec genere, nec numero, nec casu Substantivum & Adjectivum conveniant. Sic itaq; ex dictis colligimus:

Si pleraque artis præcepta de veritate definitiones sunt aut instar definitionum habentur: Certè ex veris artium præceptis quælibet falsitas, cum veritatis regula quid non consentiat, judicari & refutari potest. Nam cui non convenit definitio, eidem quoq; non convenit definitum.

Veræ definitiones falsa exempla facilè dijudicant.

Sed primum est verum.

Ergo & verum secundum.

Omnis nempe res non congruens cum regulis artium, definiti, h. e. virtutis & veritatis (*quæ artium præceptis definitur & determinatur*) nomen non tenebit, sed ut vitiosa & falsa judicio verarum regularum rejicietur.

Nec verò virtutis definitio probanda fuerit, nisi vitiositatis refutatio inde peti possit.

Quid ergo de elenchorum logicorum doctrina statuendum, partémne illa facit nativam Dialecticæ artis? Minimè verò. Nihil enim illa continet nisi admonitiones de dolo & falsitate syllogismorum, quæ in hac arte & heterogeneæ sunt, & facilè ex veris præceptis intelligi possunt; ut prudenter idem docet Philippus his verbis: *Postquam suprà ratio tradita est inveniendi vera argumenta & rectè connectendi, nunc de judicandis vitiosis non est opus novis præceptis. Sed tantùm videndum est, quæ ad superiora præcepta congruant: tantùm monendi sunt juniores, ut in judicandis vitiosis argumentis* TOTAM *superiorem Dialecticæ partem, ut ille pictor ideam cervi, intueantur.* Audis, requiri non nova artis præcepta, sed superiorum præceptorum dilidentem repetitionem, & ad proposita exempla accommodationem: quæ si cum præceptis congruunt, vera sunt: sin minùs, falsa.

Vitiosi syllogismi ex vera doctrina legitimæ dispositionis facilè refutari possunt.

Neque verò metuendum hîc est Crellii contrarium judicium, qui certo certius esse, inquit, *Non quamvis captionem ex regulis Dialecticis dilui posse, sed peculiarem requiri doctrinam.* Hoc enim si verum est, tales det ille artis regulas necesse est, quæ non sint κατὰ παντὸς, hoc est, de omni & semper veræ, veritatem non constanter arguant, sed falsitatem interdum admittant. Quis verò ejus-

Crellius.

ejusmodi in arte toleret doctrinam? Et quid potest esse falsum aut vitiosum, nisi id quod à rectitudine & veritate discrepat? Quid autem rectum verúmque in logica esse potest, nisi quod certis præceptis est explicatum & definitum?

Alius objicit ita:

Contraria ejusdem generis ut eidem artifici subjiciuntur, ita in eadem arte debent tractari.

Sed vera & recta differendi ratio, & sophistica differendi ratio, sunt contraria ejusdem generis.

Ergo eidem artifici subjiciuntur, & in eadem arte Dialectica scilicet, vtraq; ratio explicari debet.

Resp. Propositio est falsa, universaliter accepta. Quicquid enim artifici subjectum est, id in ipsa arte, quam ille in hoc subjecto exercet, statim non est tradendum. Logico artifici omnia entia & non entia subjiciuntur, neque tamen in Dialectica illa traduntur. Arithmeticus numerat aurum, argentum, lapides, ligna, animalia, neque tamen res illæ in Arithmetica explicantur. Primus itaque hic parium elenchus in propositione notetur.

Deinde singulariter de contrariis ob-

ſervetur, artificem in uſu ex veris præceptis vitioſitatem tanquam contrarium oſtendere & refutare poſſe, nec ullis præceptis novis hîc opus eſſe, ut paulò antè demonſtravimus.

Sic aſſumtio ſuo laborat vitio; nam bene & malè differendi ratio ſi ejuſdem ſunt generis, ejuſdem etiã erunt artis, logicæ videlicet. At omnis logica definitur non ars malè differendi, ſed bene differendi Differendi ergo vitioſitas, quomodo ſub uno genere logico continetur? Perinde eſt ac ſi dicas: *Grammatica eſt ars bene loquendi, Ergo doctrina de malè loquendo pertinet ad Grammaticam.*

Item:

Quæ rem diſtinctam & claram efficiunt in uſu differendi & diſputandi, illa in arte ipſa ſunt tradenda.

At veritas, oppoſita falſitate plurimum illuſtratur, & confirmatur.

Ergo falſitatis etiam doctrina in arte eſt præcipienda.

Reſp. Propoſitio eſt falſa. Diſtinguenda enim ſunt artium præcepta ab ipſo uſu. In uſu contraria ad illuſtrationem rei ſæpe adhibentur: in arte tamen unicum tantùm & idem præceptum eſt, quo & vera potes proponere & falſa refutare. Sic cauſſam tuam plurimum iluſtraveris, ſi & veris ſyllogiſ-

mis

mis eam probaveris, & vitiosos contrariæ opinionis syllogismos refutaveris. Vnum tamen & idem præceptum est, quo bonum rectè formare, & falsum bene judicare potes. Sic omnium aliarum artium præcepta tantùm de bonitate loquuntur, de vitiositate in eis verbum est nullum: Et tamen ipsi reginæ artium logicæ Sophisticam tanquam genuinam partem obtrudere non verentur. Brevitas tum locum habet, inquis, cùm ea quæ per plura absolvuntur, æquè per pauciora fieri possunt.

Assumo ergo: unica vera artis regula quodlibet falsum exemplum, huic regulæ contrarium, judicari potest, ut toto hoc libello multis exemplis demonstramus. Ex quo fit, ut brevitatem artium in veritatis præceptis rectè anteferamus longæ perplexitati, falsitatem cum veritate confundenti.

Nos cum Philippo facientes concludemus: doctrinam hanc pro necessariò & nativo artis membro non esse habendam, nec à superioribus revera distinctam, sed fructum saltem esse aliquem diligentis exercitationis accommodantis præcepta exemplis specialibus tum bonis tum vitiosis probando & improbando, atq; ideo hanc partem à P. Ramo rectè esse prætermissam.

Nos

Nos tamen ut exercitia juventutis juvemus, ex omnibus non solùm inventionis locis, sed etiam dispositionis regulis, quomodo vitiosa exempla possint produci, & ex eodem fonte refutari, apertè docebimus. Neque existimandum est, vulgaribus illis, & quidem singularibus, ut putant, præceptis omnem refutandi rationem contineri, sed latiùs omnino patere. Nam quot modis ratio rectè disserit, tot modis etiam vitiosè ratiocinari, fallere & falli potest. Tutissimum igitur est omnium logicorum præceptorum exempla considerare & expendere.

Sophistices doctrina quàm latè pateat.

CAPUT II.

De generali Sophistices Deprehensione, ejusdemq; partitione.

Sophista contra veritatem disputans, obliquè pugnat, aut directè.

Obliquè, cùm vel evagatur extra terminos constitutæ quæstionis, vel longa verborum circuitione fallere vult.

Sophistica quotuplex.

Diffidit enim caussæ suæ, nec rem ipsam attingere, nec lucem syllogisticam suæ sententiæ adhibere audet.

Directè verò, cùm ipsum ferit terminum, de quo quæstio est, idq; syllogistica dispositione.

Refu-

Refutaturus itaq; Sophistam primò accuratè observa, an obliquè disputet adversarius, an directè, id deprehendes ita:

In Refutatione Sophistæ quid observandum.

Si syllogismus adversarii concludat quæstionem eandem (quæ à veritatis amatore defenditur) contradictione axiomatica, *Vel, Si quæstio proposita & conclusio syllogismi sint propositiones contradictoriæ*, directa est disputatio.

Sin conclusio ejusdem alias habeat partes, quàm quæ in quæstione fuerunt propositæ, disputatio est obliqua. *Urge igitur* adversarium, ut aliter concludat. *Ut si quæstio sit hæc defendenda: Sola fides non justificat. adversarius directè disputans sic contrà concludet: Sola fides non justificat. Quod si argumento alio probatam hanc inferet conclusionem: Bona opera sunt facienda: obliqua disputatio est, ideoq; simpliciter rejice argumentum, quòd non impugnet thesin tuam.*

Exemplum disputationis obliquæ.

Quod si obscurius disputaverit fugiens lucem syllogisticam, & thesin tuam velit evertere argumento alieno, verborum ambagibus involuto: require syllogisticam dispositionem, qua nec ad demonstrandum quid est promptius aut accuratius, nec ad errorem retegendum utilius.

Syllogistica dispositio est urgenda.

Directè ita adversus thesin tuam syllogismo formato, vanitatem Sophismatis deprehen-

Syllogismi vitium est aut in materia aut in forma.

prehendes, si duo accuratè consideraveris, Materiam nempe & formam, in quarum altera vitium est, aut in utraque.

Cùm enim omnis ratiocinatio syllogistica suam habeat materiam, dubiam sc. quæstionem & tertium argumentū, suam item formam, h e. certā materiæ dispositionem, fieri potest, ut vel peccetur contra regulas inventionis, ex quibus materia desumpta est, vel contra judicium dispositionis, quod formam syllogismi regit & gubernat.

Vitium itaq; syllogismi est vel in materia vel in forma.

Formæ vitium cur primo loco doceatur.

Forma autem syllogistica etsi in logicæ artis præceptis posterior sit sua natura, in hoc tamē disputationis exercitio primò occurrit, atque non raró argumenti infirmitatem occultat & tegit: ideoq; commodissimum fuerit & expeditissimum, primùm formam syllogismi examinare secundum artis regulas, deinde materiam.

CAPUT III.

De vitio formæ generali ex definitione syllogismi judicando.

Formæ vitium quid.

IN forma vitium est, quando syllogismus non congruit cum præceptis legitimæ & constantis dispositionis, quæ ex vero α antecedente

α. h. e. præmissis.

tecedente, verum semper concludit consequens.

Vitium itaq; formæ rejicitur reprehensione consequentiæ, quòd dispositio legitimè non sit instructa, sed regulæ syllogisticæ violatæ.

Nam ut P. Ramus lib. 2. cap. 17. inquit: *In syllogismo spectatur consequentia & inconsequentia:* Et ut Dominus Philippus ait, lib. 3. *Bona consequentia est recta connexio omnium partium in argumento, &c.*

Iudicium formæ vel consequentiæ duplex est: Generale & Speciale.

Vitium formæ duplex.

Generale est, quod sumitur ex generali syllogismi definitione hac: *Syllogismus est Dianoia, quæ quæstio cum argumento tertio ita disponitur, ut posito antecedente, necessariò concludatur.*

1. Generale ex definitione syllogismi, quo omnis syllogismus sive sit simplex, sive compositus, judicari potest.

Definitio hæc de duobus admonet: 1. Quæstionem, h. e. axioma dubium, de cujus fide quæritur, disponendum esse cum argumento tertio in antecedente parte syllogismi, quæ propositione & assumptione absolvitur.

Nam antecedentis (quod vulgo vocant præmissas) *partes duæ sunt: Propositio & Assumptio. Propositio est prima pars antecedentis, qua quæstionis saltem consequens disponi-*

Ramus lib. 2. cap. 9.

disponitur cum argumento. Assumptio est, quæ assumitur è propositione, repetens nempe argumentum.

Ex quo intelligitur, tria tantùm argumēta vel tres terminos esse debere in syllogismo, ut perspicuè docet regula Philippi: *Non sint plures termini quàm tres, quia turbatur connexio.*

Et P. Ramus ait: *quæstio disponitur cum argumento tertio.* Sunt nimirum in quæstione argumenta duo, unum antecedens, alterum consequens. Sed cùm adhuc dubitetur, an sint ista duo affirmatione jungenda, an verò negatione distrahenda: accedit ratio rei dubiæ faciens fidem, quæ tertium argumentum est, ostendens, illa duo rectè sic vel affirmādo jungi, vel negando distrahi. Præter hoc tertium si quid accesserit, vitiosum erit. Intelligitur itaq; primò ex definitione syllogismi, materiam constare tribus tantùm argumentis seu terminis, non pluribus.

2. Conclusionem necessariò ex antecedente concludi, hoc est, partes quæstionis in antecedente cum tertio argumento separatim dispositas, in conclusione rursus esse conjungendas, nec plus his admiscendum, nec aliquid detrahendum.

Nam ut P. Ramus inquit: *Syllogismi pars*

pars consequens est, quæ complectitur partes quæstionis, eamq́ concludit, unde complexio & conclusio dicitur.

Et Dn. Philippi in tertio regula est: *Non sit plus in conclusione, quàm fuit in præmissis.*

Duplex itaque vitium in forma generali notatur: primum in syllogismi antecedente: alterum in consequente.

CAPUT IIII.

De vitio syllogismi in antecedente ex quatuor terminis.

PRimum syllogismi vitium est, cùm in antecedente plura quàm tria argumenta vel termini disponuntur. *Nam in antecedente ostendenda est caussa conclusionis, ideoq́ argumentum cum quæstione bis disponitur, semel in propositione, semel in assumtione; unde tres tantùm in antecedente esse debent termini. Quod si tertium illud in propositione dispositum non repetitur in assumptione, sed aliud quartum substituitur, connexio turbatur.*

Quatuor termini in syllogismo.

Idq́; fit dupliciter: apertè & tectè.

Apertè, cùm manifestis & distinctis verbis quatuor termini explicantur: ut

Credentes salvantur.
Turcæ sunt hostes nostri.
Ergo turcæ salvantur.

Resp. hîc vitiosam esse dispositionem propter quatuor argumenta vel terminos in syllogismi antecedente. Nam *Turcæ* est minor terminus vel antecedens quæstionis: *Salvantur*, est terminus major vel consequens quæstionis: tertium argumentum in assumptione est *hostes nostri*: id etiam in propositione disponi debuisset, sed pro eo assumitur quartum, *credentes.*

Hoc vitium quia crassius est, rarius etiam occurrit.

Ambigua vocis significatio parit in syllogismo terminos quatuor.

Rectè autem frequenter quatuor argumenta pro tribus proponuntur, cùm quidem vox eadem (tertium argumentum notans) repetitur in propositione & assumptione, sed ambiguè, aliud in illa, aliud in hac significans: unde revera quatuor argumenta fiunt. *Nam in syllogismo non voces, sed notiones rerum vocibus significatæ spectantur. Quod si medius terminus, vel vox argumentum tertium denotans, duo significat, res duæ & duo argumenta intelliguntur, quibus si duos quæstionis terminos addideris, quatuor habebis.* Hinc rectè Dn. Philippus inquit: *Cavendum est, ne sit ambiguitas in terminis, quia ambiguæ voces cùm faciant quatuor terminos, distrahunt connexionem.*

Ambiguitas duplex est.

Hæc vocis diverso sensu in syllogismo adhibitæ ambiguitas duplex est; alia Grammatica, alia Rhetorica.

Nam

Nam duæ hæ artes gubernant dictionem, & sermonem informant, & cùm in abusum trahuntur, gignunt fallacias dictionis, quando ambiguitas oritur ex vocibus non rectè intellectis.

Fallacia dictionis.

CAPUT V.

De Ambiguitate Grammatica.

GRammatica ambiguitas est, quæ oritur ex præceptis grammaticis non rectè intellectis & usurpatis.

Sæpe ita vitium est ex ignoratione orthographiæ, ut

Fallacia. orthographiæ.

Feritas est inimica humanæ societati.
At quædam virtus est veritas.
Ergo quædam virtus est inimica humanæ societati.

Resp. Quatuor termini sunt in syllogismo, & orthographia neglecta hîc fallit: in assumptione enim scribendum fuisset feritas per F, non per V.

Sic ex prosodia fallaciæ oriuntur vario modo, ut cùm quantitatis ratio non habetur, ut

Prosodiæ fallacia.

Populus ex terra nascitur
Populus est multitudo hominum collecta.
Ergo collecta hominum multitudo ex terra nascitur.

Resp. Est fallacia quantitatis non observatæ, quæ gignit quatuor terminos: *Populus* in propositione significat arborem prima longa: In assumptione significat homines, sed prima brevi.

Fallacia accentus.

Huc pertinet fallacia Accentus, quando ex accentu & gestu pronunciationis ignorato oritur deceptio, ut

Quod conditur bene sapit.
Urbs conditur.
Ergo urbs bene sapit.

Resp. Accentus non observatus facit quatuor terminos. Vox *conditur* in propositione penultimam habet accentuatam, & de cibis propriè dicitur: in Assumptione antepenultimam, & de ædificiis accipitur.

Fallacia Etymologiæ.

Sic Etymologiæ vitium est, ut cùm pars pro parte ponitur, ut

Amare est dulcis animi actio.
Petrus flet amarè
Ergo flere Petro est dulcis actio.

Figura dictionis.

Resp. Adverbium hîc in assumptione, distinctum à verbo propositionis, Sophisticam detegit.

Huc referenda est figura dictionis, cùm scilicet accidentia etymologica cum vocis prima & nativa significatione confunduntur: ut

Ubique est Adverbium.
Deus est ubique. *Ergo*

Ergo Deus est adverbium.

Resp. Vox ubique in propositione consideratur secundum significationem grammaticam: in assumptione secundum nativam.

Fallacia Syntaxis.

Sic constructio vocum non rectè adhibita fallit, ut in Amphibolia, cùm verba conjuncta pariunt errorem, ut

Christum oportet cælum capere, vel, cælo capi, Actor. 3.

Ergo in cœna, quæ in terris celebratur, non potest esse præsens.

Resp. Phrasis ambigua est, nec constructio græca in versione latina rectè observata. Nam in hoc, ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, Relativum ὃν ad Christum est referendum, idq́; proximè regit verbum δέξασθαι interveniente verbo impersonali δεῖ, oportet: at οὐρανὸν accusativus non est antecedens verbum medium, sed sequens. Ordo itaque constructionis sic est: *Deus misit vobis prænunciatum Iesum Christum:* ὃν, quem, scilicet *Christum*) δεῖ oportet: *Quid autem oportet?* δεῖ δέξασθαι, oportet capere. *Quid autem, seu quam rem oportet capere?* δέξασθαι οὐρανὸν, capere cœlum. Hanc antecessionem & consecutionem monstrat ipse textus. Sententia itaq; genuina hæc est: quem Christum oportet capere cœlum: Vel: qui Christus debet

capere cœlum. Nam accuſativus antecedens infinitivum, reſolvi debet in nominativum, quia notat eam rem ſeu perſonam, cujus eſt illa actio, quæ verbo ſequente exprimitur. At Accuſativus ſequens infinitivum non mutatur, ſed manet & ſignificat ipſum ſubjectum, in quod actio verbo præcedente notata dirigitur.

Calviniana itaq, interpretatio, cùm ab hoc fundamento diſcedat, manifeſtam habet falſitatem. Illam breviter hoc ſyllogiſmo demonſtrabis:

Recta hujus loci explicatio præmittit relativum ὃν, quod Christum notat, illudq; reſolvit in nominativum, poſtponit autem accuſativum οὐρανὸν, quod ſubjectum eſt in quod agitur, hoc modo : quem Chriſtum oportet capere cœlum, h. e. quem Chriſtum oportet ut ipſe capiat cœlum.

At Calviniani hunc ordinem invertunt, nam accuſativum οὐρανὸν præmittunt, tanquam cauſſam agentem, & relativum ὃν poſtponunt, tanquam ſubjectum in quod agitur, hoc modo : cœlum oportet capere quem Chriſtum, h.e. oportet ut cœlum capiat ipſum Chriſtum, ſeu, quod idem eſt, oportet Chriſtum capi cœlo.

Ergo Calvinianorum hæc explicatio non recta & vera eſt, ſed falſa.

Plura

Plura de hoc argumento vide in part. 1. Exerc. nostrarū ad Piscat. Exerc. 4. Sect. 4.

Fallacia comparationis & divisionis.

Sic per errorem Syntaxis decipit fallacia compositionis & divisionis, cùm ea componuntur, quæ maximè sunt distincta, vel disjunguntur, quæ erant conjungenda, ut

Quod factum est per ipsum, erat vita hominum, Ioh. 1.

Sol factus est per ipsum.
Ergo Sol est vita hominum.

Resp. In propositione componuntur disjungenda, textus enim apud Iohannem sic est distinctus: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est: per ipsum vel in ipso erat vita.* Ipse igitur Christus est vita, non illud quod factum est.

Sic & hoc Luc. 15.

Angeli gaudent super peccatore.
Ergo etiam gavisi sunt super Iuda proditore.

Resp. Fallacia est divisionis, quia omittitur particula distinctiva, quæ erat addita hoc modo: Super peccatore *pœnitentiam agente.*

Sic Piscator in Responsione ad Busch. pag. 58. argumentatur.

August. tractatu 80. super Iohan. ait:

Accedit verbum ad elementum, Et fit Sacramentum: non quia dicitur, sed quia creditur.

Fides ergo sumentis ad substantiam Sacramenti pertinet.

Resp. Est fallacia compositionis. verba enim illa Augustini: *non quia dicitur, sed quia creditur*: non sunt composita cum præcedentibus, quæ de Sacramenti substantia agunt, sed distincta, & longè ab iisdem remota, per disputationem prolixam interjectam, de fructu Baptismi. Quærit enim Augustinus, *unde tanta virtus sit aquæ, ut corpus tangat, et animā abluat*: Et respondet; *faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Sophisticè igitur illa à Piscatore sunt composita.

His & similibus modis grammaticæ regulæ neglectæ pariunt errorem.

CAPUT VI.

De Ambiguitate Rhetorica ex tropo.

Tropus parit ambiguitatē in syllogismo. Fallaciá æquivocationis.

RHetorica ambiguitas est, quando vox argumenti tertii in altera antecedentis parte propriè, in altera tropicè accipitur, unde quatuor termini fiunt. Hæc usitatè appellatur fallacia æquivocationis, quando scilicet

ſcilicet fit deceptio ambiguitate vocis unius: quæ & propriè & tropicè in eadem argumentatione ponitur. Tropus igitur monſtrandus eſt, ut ambiguitas appareat, ut

Brachium eſt res corporea.
Deus habet brachium.
Ergo quiddam eſt corporeum.

Fallacia Metonymiæ.

Reſp. Ambiguitas eſt in voce *Brachium*: quæ in propoſitione accipitur propriè: in aſſumptione tropicè, explicanda per Metonymiam ſubiecti, quia intelligitur robur & potentia Dei.

E T:

Qui Deo ſimilis eſt, peccatis non eſt pollutus
At Adam poſt eſum pomi vetiti ſimilis factus eſt Deo, Geneſ. 3.
Ergo Adam peccatis non eſt pollutus.

Fallacia Ironiæ.

Reſp. Ironia aſſumptionem contraria ſententia exponendam eſſe docet.

Item:

Vulpes eſt quadrupes.
Herodes eſt vulpes.
Ergo Herodes eſt quadrupes.

Fallacia Metaphoræ.

Reſp. Ambiguitas eſt in voce *vulpes*, quæ propriè accipitur in propoſitione, metaphoricè in aſſumptione.

SIC:

Peccatores à Deo non exaudiuntur, Ioh. 9.
At omnes homines ſunt peccatores.
Ergo nulli homines à Deo exaudiuntur.

Fallacia Synecdoches.

Reſp. Vox peccatores in aſſumptione propriè accipitur, pro contra legem delinquentibus: in propoſitione eadem vox per Synecdochen generis ſignificat tantùm peccatores pœnitentiam non agentes, unde quatuor termini fiunt. *Vulgo dicitur hæc fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, cùm totum complectimur ubi de parte tantùm dicitur.*

CAPUT VII.

An verba cœnæ propriè ſint accipienda, an verò explicanda per tropum.

H*Actenus ambiguitatis rationem ex Grammaticæ regulis, & Rhetoricæ tropis expoſuimus: nunc paululum digredi libet in defenſionem veritatis, quæ hactenus in cauſſa Sacramentaria à Lutheranis piè ſuſcepta eſt.*

Calviniani ambiguitatis crimen objiciunt Lutheranis, quòd τὸ ῥητὸν urgentes, ſermonem ſua natura tropicum pro proprio ſimplicioribus obtrudant, atq; hoc modo fallant. Hæc accuſatio an vera ſit, rationum comparatione inquiratur.

Plerique

Plerique Sacramentarii eò contendunt, ut signum corporis hîc intelligendum esse, nõ corpus ipsum, persuadeant, sensusq; verborum Christi hic videatur: *Panis est signum corporis Christi, vel panis significat corpus.* Contrà Lutherani asserunt proprietatem verborum Christi, & prædicati nativam significationem singulariter demonstrant descriptione addita: Axioma ita est: *Hic panis est corpus meum.* Descriptio corporis est hæc: *quod pro vobis traditur.* Ex hac descriptione addita firmam hanc extruunt demonstrationem:

Status controversiæ.

Verba cœnæ propriè sunt accipienda.

Quod pro nobis in mortem traditum est corpus, id propriè hîc est intelligendum.

Sed verum & naturale Christi corpus pro nobis in mortem traditum est, non tropicum aut figuratum.

Ergo verum & naturale corpus Christi, non fictum aut tropicum hîc intelligi debet.

Demonstratio proprietatis verborum cœnæ.

Contra tropi verò assertionem concluditur ita:

Id voce (Corpus) hîc propriè intelligendum est, quod pro nobis in mortem est traditum.

At signum corporis pro nobis in mortem non est traditum.

Ergo signum corporis hîc intelligendum non est.

Pau-

Paulò aliter argumenti hujus firmitatem etiam accipe.

Descriptio prædicato addita, si propriè & verè de eo dicitur, arguit prædicatum proprium esse, non tropicum. Nam si prædicatum tropicum sit, & aliud intelligatur quàm vox ipsa propriè significat: necesse est, ut descriptio illa ad rem intellectam, non voce expressam referatur.

Piscator Calvinianorum anchora, hoc Syllogismo victus, respondit ad argumenti nervum nihil.

At descriptio in verbis Christi prædicato addita, propriè & verè de corpore dicitur: Corpus enim pro nobis in mortem traditum est.

Ergo descriptio illa docet vocem (Corpus) propriè esse accipiendam.

Et contrà:

Si corpus Metonymicè ponitur pro Signo, necesse est ut descriptio corporis signo attribuatur.

Sed consequens fieri non potest: nam signum in mortem pro nobis traditum non est.

Ergo nec antecedens erit.

Hanc sanam assertionem Bilstenius in sua Rhetorica, salsè irridet, aliter argumentum informans, & instantiam opponens his verbis: *Si ejusmodi syllogismus valet, valebit & hic:*

Christus nos jubet accipere & comedere corpus, quod pro nobis datum est.

Panis Sacramentalis corporis Christi non est pro nobis datus.

Ergo

Ergo in cœna ſancta non accipimus panem.

Hîc (ut ipſe ait) committit fallaciam compoſitionis & diviſionis. Nam conjungit ille panem & corpus, quaſi ad hæc duo ſimul iſta deſcriptio pertineat. Verùm diſtinctè Dominus de ſingulis egit. Sic enim ſcribunt Euangeliſtæ: *Accepit primò panem, fregit & dedit diſcipulis ſuis. Deinde de pane dixit: Hoc eſt corpus meum. Corpus verò quodnam intelligat, perſpicuè declaravit his verbis: quod pro vobis datur.* Sophiſticè igitur detorquet hanc deſcriptionem ad panem, & inde argumenti noſtri infirmitatem oſtendere conatur.

Piſcator videns tam inanem ſophiſticam, pondere argumenti Bilſtenium ſuperare conatur, & novo aucupio vult fallere.

Propoſitio, inquit, eſt falſa. Falſitatem demonſtrat hoc diſcreto: Etſi in verbis Domini vocabulum corporis metonymicè pro ſigno Corporis ponitur, tamen deſcriptio ſequens, non ad ſignum, ſed ad corpus rectè refertur.

Ridiculum axioma hoc eſt, perinde ac ſi dicat: *Etiamſi ille cæcus eſt, tamen videndi facultate non eſt privatus.*

Sic ridiculè attribuitur illi voci deſcriptio à Piſcatore, ex qua res ipſa, cui propriè deſcriptio convenit, per tropum eſt ſublata. *Corpus*, ait, *in hoc axiomate non ſignificat*

ipſam

ipsam Christi carnem et sanguinem, sed ejus signum. Quomodo ergo descriptio in hoc axiomate corpori potest attribui? num signum pro nobis in mortem est traditum?

CAPUT VIII.

Quòd tropus in tota propositione esse non possit.

APparet itaq; Lutheranos & Calvinianos prorsus sibi esse contrarios: illi in nullo verbo dicunt fieri significationis mutationem, ideóque tropum nullum dari posse: hi contrà perpetuò pro tropo contendunt: sed dissimiliter & quidem inconstanter.

Inconstans est Calvinianorum sententia de tropo in verbis cœnæ.

Alii enim tropum statuunt in toto axiomate.

Alii in aliqua ejus parte.

utriusq; partis rationes quantum valeant, videbimus.

Piscator, Quæstione Rhetorica secunda f. 6. Vbbius ad Hoffman. f. 52. Bilsten. Rhetor. f. 27. & 46

Sententiæ prioris argumentum est hoc:

Cùm res signata prædicatur de signo, subjectū nempe de adjuncto, Metonymia est subjecti.

Sed in verbis cœnæ (Panis est corpus: Vinum est sanguis) subjectum prædicatur de adjuncto, res signata de signo.

Ergo in verbis cœnæ est Metonymia subjecti.

Propo-

Propositio falsissima est & absurdissima, firmissimis & certissimis artium principiis contradicens. Primò refutari potest natura tropi generali:

Omnis tropus est tantùm in unica voce, non in toto axiomate, aut modo prædicandi.

Tropus est in singulis vocibus.

Sed Metonymia est tropus.

Ergo Metonymia est tantùm in unica voce, non in tota propositione, aut modo prædicandi.

Hujus syllogismi propositio certissimæ est veritatis. Nam artium distinctæ proprietates non sunt confundendæ: at prædicatum cum subjecto connectere, modúmque prædicationis explicare, Dialecticæ artis proprium est, non Rhetoricæ. Quo jure igitur tropus statuetur in affectione prædicati ad subjectum, vel affectione argumenti consequentis ad antecedens?

Affectio prædicationis tropum non parit.

Deinde clarissimi Rhetoricæ artis magistri sic tropi naturam declarant, ut omnem significationis mutationem in singulis verbis, non tota oratione constituant.

Quintilianus libro 8. capite sexto inquit: *Tropus est verbi vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio.* At tropus in singulis verbis totus est, cum sermone conjunctum nihil habet. Sermonis enim vel orationis mutatio figuris fit.

Sermo est communis locus Tropi.

Dictio vel vox una est proprius tropi locus.

fit, non tropis. Ideoque idem autor lib. 6 cap. 1. accuratiùs tropum definit, & à figura distinguit hoc modo: *Tropus est dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, quo propria non est.*

Figura verò est conformatio orationis remota à communi & primùm se offerente ratione. Quare in tropis ponuntur verba alia pro aliis, ut in Metaphora, Metonymia, &c.

Philippus Melanchthon in Rhetoricis lib. 2. inquit: *Græci vocant τρόπους, cùm vox à propria significatione ad rem similem aut vicinam vertitur. Σχήματα verò vocant quasi gestus orationis, in quibus non est necesse mutare significationem vocum.*

NB. Candidum hoc Piscatoris judicium

P. Ramus denique (cujus doctrinam de tropis *accuratißimam* dicit Piscator in sua ad Hoffmannum responsione, pag. 124. & *ex affectionibus rerum logicis subtilissimè ac perfectissimè deductam*) ita definit tropum lib. 1. Rhet. cap. 2. *Tropus est elocutio, qua verbum à nativa significatione* mutatur in aliam. Et cap. 14. è Quintiliano repetit hoc discrimen: ut *tropus est singularum vocum: Sic figura conjunctarum est: utq; vocum alia est propria, alia modificata: sic orationum alia est recta, alia figurata.*

Non oratio sed vox propria aut figurata est.

Tropus quid, & quomodo cognoscendus.

Ex his intelligitur, Tropum quærendum esse in unica voce tantùm, non in con-

conjunctis: atque mutationem significationis esse necessariò ostendendam, ut intelligatur tropus. Atqui illa significationis mutatio, ut vocem pro voce in explicatione tropi substituit: Sic rem voce significatam pro re voce priore exposita intelligit. Res autem logicis notionibus subjectæ arguendi mutuam affectionem habere debent, ut logicis argumentis tropus posit explicari.

In omni Tropo sunt consideranda:
1. Tropus est in unica voce. 2. Vox tropica capit mutationem significationis. 3. In explicatione vox una ponitur pro alia. 4. Vox quælibet certam rem denotat. 5. Res quælibet argumento logico debet illustrari. 6. Argumenta illa inter se affecta esse debent.

Agè illustretur res appositione exempli unius: Virg. *Invadunt urbem somno vinoq́ sepultam.*

Tropus est in unica illa voce *urbem*: hujus vocis nativa significatio mutatur, & in expositione intelliguntur *incolæ urbis*: hæ duæ voces, quarum una ponitur pro alia, significant duas res, quæ logicis terminis ita subjiciuntur: *urbs* est subjectum: *incolæ* sunt adjuncta. Cùm igitur *urbs* ponatur pro *incolis*, subjectum pro adjuncto, rectè in hoc exemplo Virgilii subjecti metonymia statuitur. Atq; hoc modo tropi ratio in singulis exemplis consideranda est.

Repetamus nunc Metonymiam Calvinisticam,& hac tropi definitione eam judicemus.

Metonymia Calvinistica non est Tropus.

Tropus est,cùm unica vox mutatur à nativa significatione in aliam,cùm nempe vox pro voce ponitur, res pro re intelligitur, argumentum pro argumento sumitur.

Primus Syllogismus tropo Calviniano oppositus.

At Metonymia Calvinistica non est in unica voce,sed in conjunctis: non ponitur una vox pro alia,sed de alia prædicatur, non argumentum pro argumento sumitur, sed cum eo disponitur subjectum, nempe cum adjuncto.

Ergo Metonymia Calvinistica non est tropus.

Bilstenius Rhet. pag. 27 Vbbius ad Hoff. pag. 412 Piscator Quæstion: Rhet: 2.

Propositio paulò antè satis est explicata, & munita: Assumptio vera est vel ipsorum adversariorum testimonio: ajunt enim singulas voces esse proprias, sed tropum esse in toto axiomate, vel modo prædicandi, cùm scil. res signata prædicatur de signo. Conclusio igitur sua sponte sequitur.

Sed ut demonstravimus Metonymiam illam non esse revera tropum, ex Definitione tropi, ita ex partium natura ad totum, rem eandem concludamus.

Secundus Syllogismus metonymiam Calvinianã oppugnans

Cujus partes singulæ propriæ sunt,id totum quoq; proprium est,ait Piscator ad Hoff. pag. 43.

Sed in Metonymia Calviniana singulæ partes sunt propriæ.

Ergo

Ergo tota illa Metonymia, in qua nempe res signata prædicatur de signo, propria est, non tropica.

Totam metonymiam dico, quia constituitur in toto axiomate ab adversariis.

Hactenus tropi natura Metonymiam in tota propositione ferre non potuit: Sequitur usitata, & genuina Metonymiæ subjecti definitio, quæ idem absurdum clarissimè refellit ita:

3. Ratio quare Metonymia non sit in tota propositione.

Metonymia subiecti quid.

Si Metonymia subjecti rectè definitur, cùm vox, propriè denotans subjectum, ponitur pro re adjuncta; falsa est definitio altera, quæ docet in Metonymia subjectum cum adjuncto disponi, & illud de hoc prædicari: nam duæ oppositæ definitiones uni rei non conveniunt.

Sed primum est

Ergo secundum.

Propositionis connexio necessariæ & manifestæ est veritatis. Assumptio doctissimorum virorũ testimoniis illustranda est: P. Ramus lib. 1. Rhe. ca. 5, definit ita: *Metonymia subjecti est, cùm nomen propriũ rei subjectæ ad significandam rem adjunctam traducitur, h. e. cum vox propriè denotans subjectum, ponitur pro re illi subjecto adjuncta*

Sic Dn. Philippus inquit: *Metonymia est, cùm nomen vicinum pro vicino sumitur, ut signum pro signato, sceptrum pro regno, fasces pro imperio, toga pro pace.* Nunquam sani Phi-

losophi dixerunt esse Metonymiam, quando subjectum cum adjuncto disponitur, cùm signum de signato, sceptrum de regno prædicatur.

Piscator itaq; etsi vanam istam definitionem, in quæstionibus suis, ut veram proposuit: tamen in responsione ad Hoffman. eadem repudiata, Rami definitionem approbavit, pag. 100. 107. 114. 121. 128. 208.

Ratio ab Absurdo.

Denique absurdum absurdissimum gignit illa Metonymiæ definitio, faciens nempe omnia axiomata tropica: id quod sic patebit:

Metonymia Calviniana facit omnia axiomata tropica.

Si vera est hæc Metonymiæ definitio: quando subjectum prædicatur de adjuncto, res signata de signo: tum non solùm omnia ista exempla, in quibus ejusmodi dispositio est, sed etiam quælibet axiomata tropica fient.

Sed consequens est absurdissimum.

Ergo & antecedens.

Connexionem propositionis probo ita: 1. Cui definitio convenit, eidem quoq; conveniet definitum: Sed exemplis, in quibus subjectum cum adjuncto disponitur, convenit definitio Metonymiæ Sacramentariæ: Convenit igitur iisdem quoq; definitum. Videantur nunc exempla: *Iris est nota gratiæ & misericordiæ Dei: Sceptrum est in manu regis.* Hîc subjectum cum adjuncto disponitur,

res

res ſignata de ſigno prædicatur. Metonymia itaq; neceſſariò in his fuerit conſtituenda: ſed valde abſurdum hoc eſt.

2. De ſimilibus idem eſt judicium: ut igitur ſubjecti metonymia eſt, cùm ſubjectũ dicitur de adjuncto: ita cauſſæ metonymia erit, cùm cauſſá prędicatur de ſuo effecto; Synecdoche, quoties genus de ſpecie prædicatur. Prędicari enim de alio, facit tropum Sacramentariis. At quis tum troporum modus aut numerus? quod tum axioma à modificatione erit liberum? quæ propoſitio relinquetur propria?

Si prædicari de alio facit tropum, & ideo metonymia eſt, quando ſubjectum prædicatur de adjuncto: etiam metonymia cauſſæ erit, cùm cauſſa prædicatur de eſſecto.

Sed primum apud Calvinianos eſt verum.

Ergo & ſecundum.

Patuit igitur hactenus, Tropum in propoſitione tota ſingulis partibus propriis eſſe non poſſe, & valde ineptam eſſe imò contra artium principia factam illam Metonymiæ definitionem.

CAPUT IX.

Quòd copula, EST, *in verbis cœnæ tropum non ſuſtineat.*

ALtera clafsis Sacramentariorum tropum ſtatuit in certa quadam axiomatis parte: Sed ex his alii in copula,alii in conſequente vel prædicato.

In copula tropum eſſe Piſcator diſputat hoc ſyllogiſmo:

Quæſt. 5. pag. 18. Reſp. ad Hoffman. pag. 209. Piſcator ita evertit diſputationem ſuam priorem: qua ſcilicet metonymiam definiebat, eamq; ſtatuebat in toto axiomate.

Metonymia illa eſt, aut in propoſitionis illius ſubjecto,aut in prædicato,aut in copula.

At nec in ſubjecto, nec in prædicato eſt.

Eſt igitur in copula, nempe in verbo ſubſtantivo EST.

Aſſumptionem probat ita. *1. Pronomen, Hoc, de pane propriè intelligitur. 2. Nomen* CORPORIS *intelligitur de corpore Chriſti propriè ita dicto,ut planum eſt ex verbis ſequentibus:* QVOD PRO VOBIS DATUR. *Propoſitionis veritatem manifeſtiſſimam eſſe ait.*

Reſp. Aſſumptionis declarationem accipimus: Propoſitionem repudiamus ob unius partis falſitatem.

Nunquam enim doceri & demonſtrari poteſt, quòd copula tropum ſuſtineat. Contrarium faciliùs probari poteſt,1. hoc ſyllogiſmo:

Copula EST, nunquam ſuſtinet tropum.

Tropus in ea axiomatis voce eſt,quæ certam in illo conſtituit partem, habentem vim argumenti logici.

*Sed copula,*EST,*non conſtituit partem axiomatis habentem vim argumenti logici.*

Ergo

Ergo copula, EST, *non sustinet tropum.*

Propositio notissima est ex natura tropi, præcedente capite explicata. Immutatio nempe vocis à nativa significatione ostendenda est, & explicanda per argumentum logicum, quod in illa voce est. Argumentũ verò in axiomate facit etiam axiomatis partem: ut unum & idem sit, sive argumentum dicas, sive partem axiomatis appelles. Vox igitur, quæ nec argumentum sustinet, nec partem axiomatis constituit, tropo modificata dici non potest.

Duo tantùm sunt in axiomate argumenta.

Assumptio per se clara est, nec longa demonstratione indiget. Nam quot sunt in axiomate argumenta, tot etiam ejusdem sunt partes. Sed duo tantùm sunt argumenta: Nam, ut P. Ramus ait, lib. 2. cap. 2. *Axioma est dispositio argumenti cum argumento, qua esse aliquid aut non esse judicatur.* Duæ itaque tantùm sunt partes; antecedens nempe, & consequens. Copula verò, EST, vinculum est in axiomate simplici, quo partes inter se connectuntur, ut sententia ex duobus argumentis plena fiat, nec ullam argumenti vim illa habet, aliàs Axioma non duorum, sed trium esset argumentorum dispositio: id quod nemo sapiens hactenus docuit.

Copula EST, non est argumentum.

2. Metonymiæ definitio tropum è copula excludit ita:

Subjecti metonymia est, cùm vox subjecti ponitur pro voce adjuncti.

At verbum, EST,*non est vox* SUBIECTI, *& verbum,* SIGNIFICAT, *non est vox adjuncti.*

Ergo cùm verbum EST *exponitur per* SIGNIFICAT, *non est Metonymia subjecti.*

Ad Hoff 3: Pag. 213.

Piscator eandem Metonymiam refutat ita:

Ubi tropus est,ibi verbum mutatur à nativa significatione in aliam.

Piscator suam Metonymiam refellit.

Sed in verbis cœnæ non mutatur verbum EST *in aliam significationem.*

Ergo tropus in illo non est.

Assumptionem explicat ita: quia enunciata illa, ad proprias enunciationes reducta manent affirmativa, *ut Panis est corpus*, reducitur ad hanc,*Panis est signum corporis.* Et Paulò antè docuit pag.211.Verbum EST, propriè notare affirmationem : ideoq; cùm illa mutatur in negationem,ut fieri solet in enunciatis Ironicis, tum demum tropũ esse,ut in his: *Tu es strenuus imperator*, h. e. *tu non es strenuus imperator*. In verbis autẽ cœnæ talem mutationem non fieri idem ait.

In hac Piscatoris confessione notandum est primò,quòd negatio & affirmatio vocis propriè tropum non demonstret, sed argumenti pro argumento positio : nec etiamsi copu-

copulæ affirmatio vertatur in negationem, ideo tropus erit, nisi priùs demonstretur, copulam esse argumentum aliquod. Deinde in locutionibus Ironicis non mutatur significatio copulæ, sed illa nativam retinet significationem. Ironia enim est tropus à contrario ad contrarium argumentum. At argumentum non est in copula, sed in prædicato & subjecto, ergo in altero horum tantùm tropus est. Sic cùm dico de ignavo homine: *Tu es vir strenuus*, Ironia est, quia cùm strenuum dico, intelligo contrarium, nempe ignavum. Contrarium autem illud explico per vocem adversæ qualitatis, unde sensus erit hic: *Tu es vir ignavus*: vel contradicentibus rem explicato ita: *Tu es non strenuus*: hæc enim vera argumenti negatio est, & sic verbum substantivum suam nativam retinet significationem. Quod si copulam negas, contradictionem saltem axiomaticam efficis, non tropum per contrarium argumentum explicas.

In ironia non mutatur significatio copulæ.

Vide hac de re plura exerc. nostrarum part. 1. Sect. 5. exercitationis 2.

CAPUT. X.

Quòd Metonymia in prædicato verborum cœnæ locum non habeat.

Tropus non est in prædicato verborum cœnæ.

FRequentissima est Calvinianorum illa sententia, qua tropus in consequente vel prædicato statuitur.

Piscator etsi in quæstionibus prædicatum à tropo liberaverat, & eundem in copulam collocaverat: tamen videns opinionis suæ absurditatem, ne in oppugnatione τοῦ ῥητοῦ defecisse videretur, recurrit ad vomitum antecessorum suorum, & prædicato tropum infarcit hoc argumento:

Vomitum dico, quia crudum istum tropum Calviniani hactenus concoquere non potuerunt. Ad Hoff. pag. 208.

Cùm subjectum nominatur, & adjunctum intelligitur, metonymia subjecti est.

At in illis prædicatis (panis est corpus, vinum est sanguis) nominatur subjectum, & adjunctum intelligitur, videlicet corporis & sanguinis signum.

Ergo in illis prædicatis metonymia subjecti est.

Assumptionem declarat ita: Vox *Corpus* ponitur pro *signo corporis:* idq; apparet, cùm tropicum enunciatum reducitur ad proprium. Nam sicut illud: *Circumcisio est fœdus*, reducitur ad hoc: *Circumcisio est signum fœderis*; ita istud, *Panis est corpus Christi: vinum est sanguis Christi*; reducitur ad hoc: *Panis est signum corporis Christi, &c.*

Pag. 207.

Et pag. 100 eandem sententiam explicat ita: In his enunciatis, *Panis est Corpus, vinum est sanguis*, Subjectum pro adjuncto, signatum

ſignatum pro ſigno ponitur, in ipſis videlicet iſtorum enunciatorum prædicatis. Etenim panis cœnæ non eſt, propriè loquendo, ipſum Chriſti corpus, ſed illius eſt ſignum, &c. *Hactenus Piſcator.*

Reſp. Hoc Piſcatoris argumentum, tanquam ultimum ejus refugium, diligenter nobis eſt examinandum. Propoſitionis veritatem ut antea probavimus, cap. 8. Ita eandem ad cauſſam Sacramentariam à Piſcatore accommodari, veritati gratulamur.

Aſſumptio autem è propoſitione non verè aſſumitur, ſed craſsiſsimum continet errorem, & manifeſtam falſitatem, quam hic ſyllogiſmus patefaciet:

Cùm ſubjectum nominatur, & adjunctum intelligitur: tum in tropi expoſitione pro voce rem ſubjectam ſignificante, afferri debet vox alia, quæ notet rem adjunctam.

At Piſcator in expoſitione ſuæ Metonymiæ, non affert vocem aliam pro voce CORPUS *ponendam, quæ ſit corporis adjunctum.*

Ergo Piſcatoris illa expoſitio nondum demonſtrat, in controverſia hac ſubiectum poni pro adiuncto.

Propoſitio ſuprà capite 8. à nobis explicata eſt, ſed hîc exemplis porrò illuſtranda: quæ doceant, in explicatione tropi non ſatis eſſe, afferre logicum terminum,

Tropus quomodo explicandus.

ſed

sed rem, quæ logico termino explicari possit.

1. Exemplum.

Sic Cùm Christus Ioh. 3. inquit: Deus *dilexit mundum*: Dico Metonymiam esse in voce *Mundum*. Atqui si tropus sit explicandus, non rectè id fiet his verbis: *Deus dilexit mundi adjunctum*: Sed logicus ille terminus ad rem certam est accommodandus, exprimēdaq; vox, quæ rem significet mundo adjunctā, hoc videlicet modo: *Deus dilexit homines, qui scilicet mundi sunt adjuncta.*

Sic cùm dicimus, *Signatum* poni, & *signum* intelligi, docere volumus, *rem* quæ sit signatum vel subjectum, certa voce exprimi, & intelligi rem aliam, quæ logicè signum vel adjunctum appellari possit, alia voce explicandam, ut

2. Exemplum. Toga pro pace.

Toga est signum vel adjunctum: *Pax* est res signata vel subjectum. Sic enim & Piscator ex Cicerone docet, pag. 101. *Negare non potes, quin apud Romanos sese habuerit toga ad pacem, tanquam signū ad rem signatam. Et pag. 114. Pax est nomen proprium rei subjectæ: toga est res adjuncta, pacis nempe insigne.* Si igitur ex his alterum nominatur, & alterū intelligitur, non subjecti tantùm vel adjuncti nomē in expositione tropi adhiberi debet; sed res ipsa, quæ intelligitur, ut cùm Cicero inquit: *Cedant arma togæ.* Adjuncti

cti Metonymia est in voce, togæ, adjunctum enim nominatur, & subjectum intelligitur. Sed in explicatione tropi non satisfacturus es auditori hac interpretatione, *Arma cedant subjecto togæ vel rei significatæ.* Sed opus fuerit ut specialiter doceas, quæ res subjecta togæ hîc intelligatur, vel, quænam sit res significata, cujus signum, toga, hîc est expressum, videlicet *Pax*; sic igitur genuina erit tropi expositio, *Arma*, h.e. *bellum cedat togæ*, h.e. *paci*. ut ipse Cic. locum hunc interpretatur: *Quod pacis est insigne & otii, toga: contrà autem arma tumultus atq; belli: more poëtarum locutus hoc intelligi volui: bellum ac tumultum paci atq; otio concessurum.*

Sic reciprocè in hoc exemplo, subjecti metonymia erit, cùm pax nominatur & intelligitur *toga*, ut si alicui *togam* ostendens dicam; *En tibi pacem*, hoc intelligi volo: *En accipe togam, quæ pacis est insigne.*

Pag 114.

Sic si Piscator subjecti metonymiâ ostendere vult in hoc enunciato: *Toga est pax*, necesse est, ut pro voce *pax* ponat vocem *Toga*: illa enim subjectum est vel res significata: hæc adjunctum vel signum.

§. Exemplum.

Sic in locutionibus Sacramentalibus, Metonymia, si quæ est, non logicis tantùm terminis, sed reipsa significata explicari debet.

Corpus

Piscator pag. 100.

Corpus subjectum est vel res significata, *Panis* adjunctum est vel signum.

Subjecti itaq; metonymia fuerit, cùm corpus nominatur, & intelligitur corporis signum, nempe panis.

Pag. 105 NB. cùm nominatur corpus & intelligitur panis, tum est metonymia subjecti.

Id quod exemplo veterum illustrat Piscator ita: *In illis patrum dictis, quibus dicunt corpus Christi in sacra cœna tangi & lambi, res signata pro signo, videlicet corpus Christi pro sacro illo pane appellatur: Ergo in illis dictis est metonymia.*

Ex his jam liquet, ibi tantùm agnoscendam esse subjecti metonymiam, ubi vox subjecti exponi potest per aliam vocem, quæ significet rem adjunctam.

Vox corporis in verbis cœnæ non potest exponi per aliã vocem, quæ corporis sit adjunctum.

Videamus porrò assumptionis nostræ veritatem, quæ per se quidem clara est, sed ut clarior fiat, tribus syllogismis eandem confirmabimus, & ostendemus, quòd in verbis cœnæ vox *corpus*, quod est res significata, non exponatur à Piscatore, nec exponi possit per aliam vocem, quæ corporis significet adjunctum vel signum.

I. *Corpus non ponitur pro pane suo signo,*
At corpus est res significata vel subjectum.
Ergo res significata vel subjectum non ponitur hîc pro suo signo.

Assumptio extra controversiam ponitur. De propositione, si rem rectè considerauerit

raverit, non diſputabit Piſcator, etiamſi affirmet ſignatum poni pro ſigno pag. 100.

Nam ſi pro voce *corpus*, ponet vocem *panis*, abſurdiſsimam & ineptiſsimam efficiet identicam: *Panis eſt panis*. Nondum enim metonymia demonſtrata eſt, cùm corpus dicitur poni pro ſigno corporis: Sed tum demum, cùm res ipſa, quæ corporis ſignum ſit, in expoſitione affertur. Quod cùm Piſcatori ab Hoffmanno objectum eſſet in ſimili exemplo, nec ſolidam inveniret reſponſionem, effugium quærit his verbis: *At inquam, hoc fit in iſto enunciato: Toga eſt Pax: quippe ubi Pax ponitur pro inſigni ſive ſigno pacis.* At quæritur adhuc, quodnam ſit illud pacis ſignũ? *Toga*, inquam, eſt. Sic de verbis cœnæ ait: *Subjectum nempe ſignatum ponitur pro ſigno, corpus pro corporis ſigno.* At nondum quæſtioni ſatisfactum eſt. ut res ſignificata voce *corporis* proponitur: ita ſignum vel res ſignans voce alia exponi debet. At ſignum corporis *panis* eſt, ut docuit ipſe pag. 100.

pag. 116

Pag. 100 Res ſignificata nominatur, & intelligitur ejus ſignum. At corpus eſt res ſignificata, panis eſt ſignum.

Hic itaq; tenendus & conſtringendus eſt Piſcator (ut ipſe de Hoffmanno loquitur pag. 121) ne verborum ambiguitate effugium ſibi paret: urgendus eſt, ut doceat, quomodo ex ſubjecto intelligatur res adjuncta, ex re ſignificata res ſignans: Et quærendum

Ergo corpus ponitur pro pane.

rendum ex ipſo, an non ex voce *corpus* intelligenda ſit vox *panis*? Quod ſi identicæ abſurditatem vitare voluerit, aliam in medium afferat vocem, quæ ſit adjunctum aut ſignum corporis: aliàs tropum aſſerenti non credemus. Hic inter Scyllam & Charybdin.

II.

Vox Signum, *non eſt adjunctum vocis* Corpus.

At piſcator in tropica expoſitione ſaltem Corpus *reddit per* corporis ſignum. *Ergo Piſcator hac ſua expoſitione non docet ſubjectum eſſe poſitum pro adjuncto.*

Propoſitio certiſsimę eſt veritatis. *Signum* enim logicum argumentum eſt, & inter adjuncta numeratur.

Atqui ex ſuperioribus didicimus, argumenta logica rebus, certis vocibus expreſſis eſſe accommodanda. Corporis itaque cùm adjunctum quæris, non ſufficit dicere, *corporis ſignum*, ſed oportet quæri aliam rem & vocem, quæ ſingulariter illud corporis ſignum nominet.

Pag. 179 Exemplis declarat Piſcator, quid ſit ſignatum pro ſigno poni, *Ut cùm fœdus ponitur pro circumciſione, tranſitus pro agno.* Non hîc fœdus poſitum dicit pro ſigno fœderis, ſed ipſam rem nominatim exprimit, quæ eſt

fœ-

fœderis ſignum, nempe *circumciſio*. Sic itaque expreſſè docere debuiſſet, quænam res ex corpore nominato intelligatur. At non tollit ipſam vocem *corporis*, ſed ſaltem ei adjicit *ſignum*, quo propriè declaratur non prædicatum, de quo quæſtio eſt, ſed ſubjectū vel antecedens, & docetur, qualem naturam & affectionem habeat *panis* ad *corpus*, nempe quòd ejus ſit ſignum. Nam *ſignum* eſſe, non ad corpus pertinet, ſed ad panem: quippe panis eſt ſignum. At cujus rei? *Corporis*. Quæ expoſitio neq; ex tropo falſo credito fluit, neq; ſubjunctum pro adjuncto poſitum eſſe docet, ſed tantùm affirmat, *Panem eſſe adjunctum ſignum, & corpus ſubjectum ſignificatum.*

III.

ubicunq; ſubjectum diſponitur cum adjuncto: ibi impoßibile eſt, ut ſubjectum idem, in eodem axiomate ponatur tropicè pro ſuo relato adjuncto.

At in hoc axiomate Panis eſt corpus, *diſponitur ſubjectum cum ſuo adjuncto, res ſignificata prædicatur de ſuo ſigno, confitente Piſcatore.*

Totum hujus Syllogiſmi antecedens mihi concedit Piſcator, ſed concluſionem negat, pag. 44

Ergo impoßibile eſt, ut in hoc axiomate ſubjectum ponatur pro ſuo adjuncto, res ſignata pro ſigno.

Propoſitionis fortaſsis requires demonſtrationem: en dabo.

Subjecti Metonymia non potest esse in illo axiomate, ubi subjectum cum adjuncto disponitur.

In omni axiomate semper relata argumenta disponuntur, caussa cum effecto, subjectū cum adjuncto, &c. Atqui si in ejusmodi axiomate, *in quo subjectum dispositum est cum suo adjuncto*, Subjectum pro adjuncto positum esse dicitur, non potest manere relatorum argumentorum dispositio, sed prorsus tollitur, & identica ineptissima efficitur. Quippe si in antecedente est *Adjunctum*, & in consequente *Subjectum*, atq; ex hoc subjecto intelligitur adjunctum: tum in subjecto vel antecedente axiomatis erit adjunctū, & in consequente vel prædicato erit adjunctum. Duo autem adjuncta in uno axiomate ut partes principales disponi non possunt. Manifestius idem fiet, si ad signum & rem signatam applicetur.

Piscator sua Metonymica expositione facit identicas propositiones.

Signum		*res signata.*
TOGA	EST	PAX
Adjunctum		*Subjectum.*

Piscat. ad Hoffman. pag. 101.

In antecedente axiomatis TOGA est adjunctum signum. In consequente PAX est res signata subjectum.

At in consequente ait Piscator pag. 116. Metonymia est subjecti, quia in prædicato est posita res signata pro suo signo. Pone igitur per reductionem tropicam, pro re signata signum, & habebis signum in antecedente, signum in consequente. Accommoda porrò ter-

rò terminos logicos ad rem ipſam: Signum *Toga* eſt: Pax eſt res ſignificata. Si igitur ſubjectum hîc ponitur pro adjuncto, pro pace, erit togá. Et identica fiet hoc modo:

Hîc in prædicato ſubjectum eſt explicatum per ſuum adjunctum

Signum		*Signum*
TOGA	EST	TOGA
Adjunctum		*Adjunctum.*

Idem fit in verbis cœnæ:

Signum		*Res ſignata*
PANIS	EST	CORPUS
Adjunctum		*Subjectum.*

Si dicis Metonymiam ſubjecti eſſe in conſequente, rem ſignatam poſitam eſſe pro ſuo ſigno, neceſſariò intelliges ex corpore nominato panem. Sic fiet identica.

Signum		*Signum*
PANIS	EST	PANIS
Adjunctum		*Adjunctum.*

Sic itaque Piſcator Metonymia ſua omnem ſenſum ex verbis cœnæ aufert: unde dubitantis mentis inconſtantia intelligi & judicari poteſt. Conſtituit ille metonymiam in toto axiomate per datam definitionem: Mox in copula, EST, priore diſputatione everſa: Denique in prædicato, ſuperioribus omnibus rejectis. Hæc ſcilicet ſpiritum veritatis arguunt.

CAPUT XI.

Quo iterum τὸ ῥητὸν defenditur, & ab objectionibus quibuſdam vindicatur.

DEmonstravimus hactenus, tropum, nec in tota propositione, nec in copula, nec in prædicato locutionum Sacramentalium esse: concludamus igitur pro vera sententia & verborum Christi proprietate, ita:

In quibus verbis nullus monstrari potest tropus, in iis τὸ ῥητὸν rectè tenetur, urgetur, defenditur.

Sed in verbis cœnæ non potest ullus monstrari tropus, neq; in toto axiomate, neq; in singulis ejusdem partibus, ut hactenus est disputatum.

Ergo in verbis cœnæ τὸ ῥητὸν rectè urgetur, tenetur, defenditur.

Sed obstrepunt clamantes adversarii instantiis duabus:

I.

Synecdoche est tropus.

Lutherus constituit synecdochen in verbis cœnæ.

Ergo Lutherus constituit tropum in verbis cœnæ.

Synecdoche Lutheri non est tropus.

Resp. Ambiguitas est in argumento tertio, unde quatuor termini fiunt. *Synecdoche* enim in propositione Rhetoricè accipitur, cùm vox pro voce ponitur: in assumptione non ita. Lutherus enim nunquam docuit Synecdochen esse in verbis cœnæ talem, qua vox à nativa significatione mutatur in aliam: Sed Grammaticè vocem accipit pro com-

Synecdoche Grammatica.

complexu & vnione duarum rerum sibi-in vicem præsentium, ut doceat corpus cum pane reverá esse unitum & præsens. Sic Dn. Philippus Synecdochen in hoc axiomate, *Flammæ in ore Apostolorũ erant Spiritus sanctus*, ita explicat: *Cum illa re visibili verè aderat Spiritus sanctus.*

II.

Quicunq; discedit à verbis institutionis, & alia pro his ponit, τὸ ῥητὸν deserit, & ad διάνοιαν deflectit.

Lutherani discedunt à verbis institutionis, & obtrudunt aliam phrasin, non enim dicunt: Panis est corpus, sed, in, cum, & sub pane est corpus.

Ergo Lutherani τὸ ῥητὸν deserunt, & ad διάνοιαν deflectunt.

Resp. Ambiguitas est in hoc argumento. Propositio intelligenda est de tropica expositione, quæ in partibus axiomatis principalibus adhibetur. A scripto enim recedere, & sententiã quærere, est, à propria & nativa vocis significatione discedere, & sententiam explicare tropo, qui sit vel in antecedente vel in consequente.

Quid sit deserere τὸ ῥητὸν & deflectere ad διάνοιαν.

Assumptio verò syllogismi loquitur de grammatica verborũ variatione. Nam cùm axioma hoc, *Panis est corpus*, Lutherus explicat ita: *In, cum, vel sub pane est corpus*, nul-

Expositio verborum cœnæ a Luthero facta, non introducit tropum.

la hîc adhibetur tropica expositio, aut vocũ modificatio, quia partes axiomatis manent: sed saltẽ genuinus inusitatæ prædicationis sensus, quem ipsa verba suâ proprietate gignũt, explicatur, videlicet quòd corpus cum pane Sacramentaliter unitũ sit præsens. Inusitatarum enim prædicationũ natura & ratio est, ut doceant duarum rerum unionem, & ad invicem præsentiam: sicuti pleniùs de ea re agemus, lib. 2. in Elencho oppositorũ,

Objicit Piscator in Resp, ad me, pag. 48.

Per particulas, in, cum, & sub, invertuntur axiomatis partes, quasi dicas: corpus Christi est in pane, & ita doceas, ubi sit corpus, contra mentem Domini.

Ergo ista explicatio non est vera & genuina.

R. Particula IN voci alicui opposita, non necessariò arguit eam ipsam vocem esse axiomatis consequens, nec semper docet, ubi aliquid sit, sed simpliciter etiam adhibetur ad ostendendum, quid in aliqua re sit Sic cùm istud axioma, *sanguis est anima*, Moyses ita explicat: *in sanguine est anima:* nec partes axiomatis invertuntur, nec docetur ubi sit anima. Quæstio enim apud Moysen non est de anima, sed de sanguine. Quæritur enim, quare sanguis nõ sit comedendus? Et Respõdetur, quia sanguis sit anima, vel in sanguine sit anima. Sic etiamsi verba Domini, *Hic panis est corpus meum*, explicentur per particu-

las

las, in, cum, & ſub: non tamen partes axiomatis invertentur, nec, ſi maximè invertentur, tropus oſtendi poſset.

Sic igitur ſana Rhetoricæ & Logicæ doctrina tropum ex verbis cœnæ excludit, & τὸ ῥητὸν defendit.

CAPUT XII.

De vitio concluſionis.

PRæmiſſarum in ſyllogiſmo vel antecedentis vitium hactenus vidimus: ſequitur Sophiſma concluſionis.

Concluſio ſyllogiſmi partes quæſtionis in antecedente, cum tertio argumento ſeorſum diſpoſitas, complecti debet. Vitioſa itaque concluſio eſt, cùm plus vel minus complectitur, quàm in antecedente cum tertio argumento erat diſpoſitum, ut:

Concluſionis vitium.

Nihil fit Deo non permittente. At peccata fiunt. Ergo Deus eſt cauſſa peccati.

R. Concluſio partes continet ab antecedente prorſus alienas: neq; enim cõſequens in propoſitione, neq; antecedens in aſſumptione reperitur.

Et: Caro Chriſti vivificat tantùm credentes.
Sed indigni hypocritæ non credunt.
Ergo indigni hypocritæ non vivificantur, nec accipiunt carnem Chriſti in cœna.

R. Plus eſt in concluſione quàm fuit in præmiſsis: nam *accipere corpus Chriſti*, non fuit diſpoſitum in antecedente cum argumento tertio.

Et: Peccatores pœnitentiam agentes recipiuntur in gratiam. Sed omnes homines non recipiuntur in gratiam. Ergo omnes homines non sunt peccatores.

Minus ita est in conclusione, quàm fuit in præmissis.

Respon. Conclusio vitiosa est, quia integrum antecedens propositionis non complectitur, sed mutilatum recitat: Sic autem concludi debuisset. *Ergo omnes homines non sunt peccatores pœnitentiam agentes.*

Simili sophistica concludit Piscator, pag. 190. Resp. ad Busch:

Genus est totum partibus essentiale.

At genus complectitur materiam & formam, communiter attinentes ad speciem.

Ergo materia & forma sunt partes essentiales.

Resp. Est sophisma conclusionis. Non enim complectitur partes cum argumento in antecedente dispositas. Nam consequens conclusionis in propositione non reperitur. Partes essentiales, in propositione, generi non dicuntur. Sed ipsum genus dicitur essentiale, h. e. essentiam suam singulis partibus communicans. Unde conclusio ex antecedente legitima sic fuisset: Ergo materia et forma sunt essentiales partibus, singulis scilicet speciebus, h.e. essentia generis materiâ et formâ comprehensa tota in singulis speciebus inest.

Et tantum de vitio syllogismi generali.

Caput

CAPUT XIII.

De speciali vitio syllogismi simplicis ex definitione & communibus affectionibus judicando.

SPeciale syllogismi judicium est, quod sumitur ex specialibus regulis Syllogismi simplicis & compositi.

Simplex syllogismus à P. Ramo libr. 2. cap 10: definitur ita: *Simplex syllogismus est, ubi pars consequens quæstionis disponitur in propositione, pars antecedens in assumptione.*

Ex hac definitione intelligitur, syllogismum Sophisticum esse, in quo pars consequens assumptionem cum argumento tertio, pars antecedens propositionem constituit, ut:

1. Syllogismi simplicis sophistica.

Omnis homo est mortalis. *Omnis fœmina est homo.* *Ergo omne mortale est fœmina.*

R. Syllogismi simplicis dispositio est violata: nam quæstionis consequens nõ est in propositione, nec antecedens in assumptione.

Frequenter hoc vitium committitur, ubi partes quæstionis invertuntur.

Ex eadem definitione judicatur sophisma, quando non consequens tantùm in propositione disponitur, sed tota quæstio.

2. Sophisma Syllogismi simplicis.

Sic piscator ludit pag. 189 Resp. ad Busch. *Partes essentiales integri, sunt materia et forma.*

Sed axioma est integrum.

Ergo axiomatis partes essentiales sunt materia et forma.

 Resp.

Resp. Est elenchus syllogismi simplicis. Nam nec quæstionis consequens disponitur in propositione, nec antecedens in assumptione.

Distingue quæstionem in suas partes ita: *Axiomatis partes essentiales*, est antecedens. *sunt materia & forma*, est consequens.

Nunc videamus propositionem, quæ non solùm consequens habet cum argumento, sed ferè totum antecedens, Partes essentiales.

Assumptio non habet integrum quæstionis antecedens, quod sic est: *axiomatis partes essentiales.*

Porrò syllogismus simplex suis affectionibus ita distinguitur.

Syllogismus simplex affirmatus est è partibus omnibus affirmatis: Negatus è negatâ antecedentium partium altera cum complexione: Generalis è propositione, & assumptione generalibus: specialis ex altera tantùm generali: proprius ex utraq; propria.

His descriptionibus vitiosi quilibet syllogismi judicabuntur: negativi nempe & particulares, ut:

Elenchus Syllogismi negati

Nullus lapis est baptizandus.
Nullus infans est lapis.
Ergo nullus infans est baptizandus.

Resp.

R. Ex puris negativis non necesse est sequi veram conclusionem, quia negativæ sine ullorum extremorum connexione, nimis latè vagantur.

Discipulus ex Ramo etiam respondebit, vitiosam esse consequentiam, quia hîc totum antecedens sit negatum, cùm syllogismus negatus tantùm constet ex altera antecedentis parte negatâ cum conclusione.

Syllogismus ex puris negativis vitiosus.

Ratio hujus dispositionis est hæc: Argumentum tertium caussam monstrat, cur partes quæstionis sint conjungendæ vel distrahendæ.

Si consentit cum parte utraq; quæstionis, affirmativè etiam disponetur cum partibus quæstionis in antecedente syllogismi: Nam, ut ait P. Ramus lib. 2 cap. 4, *Consentanea affirmando disponuntur, dissentanea negando.* unde ex ejusmodi materia propositio fit affirmativa, & Assumptio, & ex iisdem affirmata deducetur conclusio. ut, sit quæstio: an vitium sit fugiendum? Argumentum tertium affirmet quæstionem, quia est turpe. Hic *Turpe* est argumentum tertium, quod consentit cum utraque parte quæstionis, nemp cum *vitio & fugiendo*, illius enim est adjunctum, & hujus subjectum. Hinc cum consequente quæstionis disponetur ita:

Argumentum consentiens cum utraq; parte quæstionis requirit formam affirmatam.

Omne

Omne turpe est fugiendum. Cum antecedente verò sic: *Vitium est turpe.* Cùm igitur propositio et assumptio sit affirmata, conclusio etiam, tanquam effectum, antecedenti vel præmissis veluti suæ caussæ simile erit. Atque sic consensio tertii argumenti cum utraque quæstionis parte syllogismum gignit affirmatum.

Argumentum tertium ab altera parte dissentiens, requirit formam negatam.

Contrà si tertium argumentum cum altera tantùm consentiat quæstionis parte, ab altera dissentiat, disponetur semel affirmatè, semel negatè in antecedente syllogismi: affirmatè, cum qua consentit: negatè, à qua dissentit. unde conclusio negata inferetur: quæ, ut ait Dn. Philippus, *semper partem debiliorem sequitur, negata negatam, particularis particularem.* ut si quæstio detur, an lapis sit homo? negari potest, argumento sumpto à loquendi facultate. Hîc *loquendi facultas* consentit cum consequente parte quæstionis, unde affirmativa est propositio hæc: *Homo potest loqui.* At idem argumentum dissentit ab antecedente quæstionis, ideoq; fit negata assumptio, hoc modo: *Lapis non potest loqui,* conclusio ergo inferenda est negata: *Lapis non est homo.* cùm enim partes quæstionis non conveniant in illo tertio argumento, quod erat veluti vinculum partium in antecedente dispositarum, nec inter se con-

se convenire possunt, quia consensio per hoc vinculum erat demonstranda.

Sin verò tertium argumentum cum neutra parte consentiat, sed dissentiat ab utraq;, non potest fieri legitima dispositio. Nam partes quæstionis dispositæ cum tertio argumento fient axiomata negata, propositio nempe & assumptio negata, ex quibus conclusio negata necessariò erit deducenda. Atqui argumentum tertium nullam monstrat caussam distractionis. Etsi enim ipsum à partibus quæstionis dissentiat, non tamen ipsæ inter se dissentient: quin potiùs in hoc amica est consensio & convenientia, quòd utraque pars tertium à se removet, atq; ideo magis quædam partium affirmatio requiritur, ut:

Argumentum tertium dissentiens ab utraq; quæstionis parte, non gignit bonam formam.

Adorans pontificem Romanum, non est verus Christianus.

Lutherani non adorant pontificem Romanum.

Ergo Lutherani non sunt veri Christiani.

Argumentum hîc non arguit rectè quæstionem: Nam ridiculũ est ita disserere: *Lutherani non sunt Christiani, quia non adorant pontificem.* Adoratio pontificis dissentit à Lutheranis & veris Christianis, at ipsi propterea inter se non dissentiunt, sed magis in eo consentiunt, quòd nolint adorare pontificem

ficem, ideóque nulla hîc distractionis ratio est: quin potiùs concludendum: *Lutheranos ideo magis esse Christianos, quòd pontificem non adorant, sed Deum.*

Dissensio partium inter se arguitur rectè argumento tertio, si in illo dissentiunt, h.e. altera illud arguit affirmatè, altera negatè. Ex puris itaq; negativis nihil sequitur.

Syllogismus ex puris particularibus vitiosus.

Similiter ex puris particularibus nihil sequitur, ut:

Aliquod peccatum non remittitur homini.
Aliquod peccatum est ebrietas.
Ergo ebrietas non remittitur homini

Resp. Dispositio est vitiosa: Nam recedit à forma syllogismi specialis, cujus altera pars tantùm cum complexione est specialis. Si utraq; sit particularis, fiunt quatuor termini, nec argumentum partes quæstionis rectè potest arguere, quia de alia re loquitur propositio, de alia assumptio. ut, *peccatum aliquod* in propositione nostri exempli intelligitur de peccato in Spiritum sanctum: in assumptione item de certa specie accipitur.

CAPUT XIIII.

De Figuris tribus syllogismorum, & vitio extra hunc numerum orto.

Syllogismi species tantum tres.

SImplicis syllogismi natura hactenus exposita est, species seu figuræ sequuntur: quæ

quæ discernendæ sunt & definiendæ collocatione medii termini, vel argumenti tertii. ut Philippus inquit : *Figura est ordo terminorum, qui variatur collocatione medii.* Quot igitur modis variatur collocatio, hoc est, dispositio argumenti tertii cum partibus quæstionis in syllogismi antecedente, tot erunt species vel figuræ syllogismorum.

Ternarius figurarum numerus demonstratur.

Atqui collocatio & dispositio ista tantùm ter variatur, testantibus id omnibus logicis: vel enim argumentum semper antecedit, hoc est, Est subjectum in propositione & assumptione, ut in figurâ tertiâ: vel semper sequitur partes quæstionis, h. e. Est prædicatum in propositione & assumptione, ut in figura secunda: vel antecedit in propositione ut subjectum, sequitur in assumptione ut prædicatum in figurâ primâ. Ergo tres tantùm sunt species vel figuræ, constanter & legitimè ex bono antecedente bonam conclusionem deducentes. Intelligitur itaq; captiosam & sophisticam esse dispositionem, si non congruat cum aliqua harum trium figurarum, ut:

Consequentia bona.

Omnis virtus est habitus,
Omnis habitus comparatur crebris actionibus.
Ergo quidquid comparatur crebris actionibus, est virtus.

Syllogismus figuræ quartæ captiosus.

Resp.

Resp. Forma convenit cum generali definitione syllogismi simplicis. Sed specialis dispositio & collocatio argumenti tertii in logica est illegitima. Vocant quidam figuram quartã, cùm medius terminus est prædicatum in majore, Subjectum in minore, Sed fallax & lubrica dispositio est, quia sæpe ex vero antecedente falsum deducit consequens: ut in proposito exemplo videre est. Ars itaq., quæ dux certa est, tam fallacem dispositionem rejicit tribus figuris contenta.

CAPUT XV.

De Fallacia Figuræ Tertiæ.

Syllogismus contractus.

TErtiam figuram propter simplicissimam dispositionem, antecessionem nempe tertii argumenti P. Ramus fecit primam, camq; appellavit syllogismum contractum, quòd usus, bene disserẽdi magister, partibus contractis sit plerunq; contentus, & argumentum pro exemplo quæstioni particulari ita subjiciatur, ut utramq; partem antecedens, & assumptione affirmatũ intelligatur.

Est itaq; syllogismus figuræ tertiæ vel speciei primæ, *Quando ex argumento antecedente in propositione ut libet, in assumptione affirmatè complexio specialis efficitur.*

Bis

Bis ergo fallit hæc figura:

I. Cùm aſſumptio eſt negata, quia nihil demonſtrat. Nam quandocunq; argumentum in ſyllogiſmi antecedente antecedit, in aſſumptione negativè diſponi non debet cum parte quæſtionis antecedente. Licet enim negando ab illa diſtrahatur, tamen non propterea ipſum conſequens dividet ab antecedente. Nam quia antecedit in propoſitione, eſt terminus anguſtior quęſtionis parte conſequente, quæ cum illo diſponitur, & veluti terminus communior de eo prædicatur affirmatè. Anguſtior itaq; terminus, ſi in aſſumptione diſſentiat ab antecedente quæſtionis, non poterit demonſtrare communiorem terminum propoſitionis ab eodem antecedente diſſentire, & negandũ eſſe, ut:

Homo eſt animal,
Homo non eſt Leo,
Ergò Leo non eſt animal.

R. Vitioſus eſt ſyllogiſmus figuræ tertię, cùm negata eſt aſſumptio. Argumentum tertium hîc eſt, *Homo*, quod antecedit in propoſitione, ut terminus anguſtior, de quo affirmatè prædicatur communior terminus *Animal.* In aſſumptione argumentum idem antecedit, & negatione diſtrahitur à ſubjecto quæſtionis, *Leo.* Etſi igitur hominis natura à Leone divellatur, non tamen commu-

nior natura est negandi Animalis, quæ & homini & leoni convenit. Cùm ergo hæc forma falsum sæpè concludat, rectè à Dialecticis est rejecta.

II. Cùm conclusio est universalis. Angustius enim communius demonstrare nequit. Argumentum verò hîc semper antecedit, ideóque est angustius, unde concludit quæstionem quidem non universaliter, sed particulariter. Hæc ratio fit manifestior, cùm fit progressio à specie ad genus: una enim species totum genus universaliter concludere nequit, ut:

Omnis homo est animal.
Omnis homo est substantia.
Ergo omnis substantia est animal.

R. Sophisma est in conclusione, quæ particularis esse debuisset. Nam *Homo*, argumentum antecedit utramq; quæstionis partem, estq; illis angustior, concludet itaq; quidem animal de substantia, verùm non universaliter. Nam si dicas, *omnis substantia est animal*, quia *Homo*: ridicula est argumentatio, quæ universale genus ex una saltem specie concludit. Sic ergo complexio fieri debuit. *Quædam substantia est animal.*

Sic Piscator argumentatur ad Hoffman. pag. 83.

Abraham

Abraham jam erat adultus,

Abraham accepit circumcisionem, tanquam signaculum justitiæ fidei.

Ergo omnes, qui acceperunt circumcisionem tanquam signaculum fidei, fuerunt adulti.

Resp. Conclusio uniuersalis in figura tertia est vitiosa. Liceret similiter concludere: *Abraham fuit 99 annorum: Ergo nemo nisi 99 annorum accepit circumcisionem tanquam signaculum fidei.* Neq; Apostolus Paulus Roma. 4. mentionem facit ætatis Abrahæ, sed hoc modo disputat:

Abrahæ fides imputata est pro justitia.

Sed Abraham tum adhuc fuit in præputio.

Ergo iis etiam, qui in præputio sunt, fides imputatur ad justitiam.

CAPUT XVI.

De Sophistica Figuræ secundæ & primæ communi.

EXplicati syllogismi species, h. e. figura secunda & prima hoc habent commune, ut ait P. Ramus lib. 2. cap. 11. *Propositio est generalis aut propria: Conclusio est similis antecedenti aut parti debiliori.* Dn. Philippus inquit: *In prima & secunda figura major semper sit universalis: conclusio semper imitatur partem debiliorem.*

Duplex hîc ergo vitium committetur, communi hac affectione neglecta.

Sophistica primæ & secundæ figuræ cōmunis.

1. Cùm propositio est particularis: tum nihil concludi potest. Nam argumentum tertium hîc semper sequitur in Assumptione quæstionis antecedens, eoq; est latius, & ad plures res sæpe referri potest, quàm ad subjectum illud, de quo prædicatur. Si igitur & consequentem partem quæstionis rectè debet arguere, & vi sua ostendere, eam de parte quæstionis antecedente esse vel affirmandam vel negandam: necesse est ita generaliter in propositione illud disponi, ut assumptio inde posſit rectè deduci, intelligaturq; ita ut fuit ibidem propositum. Quod si particulariter in propositione disponatur cum consequente quæstionis, certam speciem in assumptione definire non potest, ut:

Piscat: ad Hoffman: pag. 56.

Quædam axiomata, in quibus subjectum de adjuncto dicitur, sustinet tropum in prædicato.

Sed in hoc axiomate Panis est corpus, *subjectum prædicatur de adjuncto.*

Ergo hoc axioma tropum sustinet in prædicato.

Item:

Quædam turpitudo est mendacium,
Adulterium non est mendacium,
Ergo adulterium non est turpitudo,

Resp.

Resp. In prima & secunda figura propositio debet esse universalis: particularis vitiosa est.

In primo exemplo argumentum est, *Subjectum prædicatur de adjuncto.* Hoc communius est speciali axiomate verborum cœnæ. In propositione verò cùm particulariter enuncietur, non rectè accõmodatur ad antecedens in assumptione. Nam, *Si quædam axiomata, in quibus subjectum de adjuncto dicitur*, intelliguntur, non sequitur necessariò *axioma verborum cœnæ*, in illo numero esse habendum.

Similiter in exemplo altero *mendacium* est argumentum, quod in propositione affirmatur de *turpitudine*, verùm non *omni*, sed *aliqua*. In assumptione negatur *de Adulterio*. Etsi igitur dissentiat ab altera parte quæstionis, non tamen demonstrare potest ideo: *Adulterium non esse turpitudinem*, quia non *sit mendacium*, nisi priùs asseruerit, *omnem turpitudinem mendacium esse*. Cùm verò dicatur, *Aliquam turpitudinem esse mendacium*, non potest quidlibet ab hoc genere excludi per argumentum tertium, quod non toti generi, sed parti saltem ejus convenit.

Ita Piscator colligit in Resp. ad Busch. 28.

Affirmatio est argumentum logicum. Copula, est, constituit partem axiomatis, habentem vim affirmationis.

 Ergo

Ergo copula, est, constituit partem axiomatis, habentem vim argumenti logici.

R. In propositione est Sophisma syllogismi explicati: particularis enim est, quæ generalis esse debebat.

Nam non omnis affirmatio est argumentum logicum, sed quædam: videlicet affirmatio notionis simplicis opposita negationi, qualis affirmatio & negatio est in contradicentibus topicis, ut justus, non justus.

Alia affirmatio & negatio est judicii, unde axioma in affirmatum & negatum, syllogismus in affirmatum & negatum distinguitur.

Assumptio similiter falsa est. Nam affirmatio copulæ, est, vicem vinculi sustinentis, non constituit partem axiomatis, habentem vim argumenti, sed duo argumenta, & sic duas axiomatis partes componit, facitq; non ut pars axiomatis dicatur affirmata, sed totum enunciatum affirmatum.

II. Sophisma est, quando conclusio non est similis antecedenti: aut parti debiliori:

Conclusio debet esse similis antecedenti aut parti debiliori.

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal.
Ergo quidam homo est substantia.

ET

ET

Omnis turpitudo est fugienda,
Quædam voluptas est turpis,
Ergo omnis voluptas est fugienda.

ET

Nulli credentes pereunt,
Quidam homines pereunt,
Ergo quidam homines credunt.

R. In prima & secunda figura conclusio similis esse debet antecedenti aut parti debiliori. In syllogismo primo totum antecedens erat generale, ideoq; & consequens generale esse debuisset. In secundo assumptio erat particularis, ergo conclusio talis fuisset. In tertio propositio erat negata, hanc complexio negata sequi debuisset. Particularis enim pars semper debilior est generali, & negatum axioma affirmato.

CAPUT XVII.

De Sophistica figuræ secundæ.

SEcunda figura, vel altera syllogismi simplicis species est, *Quando argumentum semper sequitur negatum in altera parte.* Hinc Dominus Philippus inquit: *Reg. 12. lib. 3. de Syllogis. In secunda figura tantùm fiunt negativi syllogismi.* Et: *Secunda figura est talis ordo propositionum, ut medius terminus sit prædicatum in majore & minore, unde*

Ramus lib. 2. dial. cap: 11.

conclusio negativa necessariò *sequitur.* Quod si conclusio hîc est negativa, necesse est & alteram præmissarum esse negativam. Rectè ergo P. Ramus inquit: *Argumentum sequitur negatum in altera antecedentis parte.*

Fallacia figuræ secundæ.

Fallax itaque fuerit dispositio, si propositio & assumptio fuerint axiomata affirmata.

Propositio vel assumptio cur in secunda figura semper negata sit.

Nam argumentum hîc semper sequitur, ideóque plerunq; est latius vel communius partibus quæstionis, cum quibus disponitur, potéstque interdum ad res alias referri: nec totam illarum rerum, de quibus prædicatur, essentiam complectitur. Itaq; affirmatum de uno itemq; de altero, unius nomen vel rem alteri attribuere non potest. Negatum verò de altero semper dissensionem aliquam indicabit.

Animalia sunt creaturæ Dei.
Angeli sunt creaturæ Dei.
Ergo Angeli sunt animalia.

R. Affirmativi syllogismi in secunda figura sunt vitiosi. Argumentum hîc est *creaturæ Dei*, ídque sequitur partes quæstionis, ideóque est ipsis communius, nec pertinet tantùm ad animalia, nec tantùm ad angelos: neq; verò omnem animalium & angelorũ naturam complectitur. *Creaturam* DEI *esse* generale est, & communiter pertinet ad animalia

malia & angelos, non poteſt itaq; certam ſpeciem conſtituere: nec bona eſt argumentatio: *Angeli ſunt animalia, quia ſunt Dei creaturæ.* At ſi commune argumentum diſtrahitur ab altera parte quæſtionis, rectè etiam ipſæ partes dividuntur. Nam quę nulla communione conveniunt, nec inter ſe conveniunt. Multò magis verum fuerit hoc, ſi argumentũ fuerit æquale partibus, cum quibus diſponitur, ut:

Communia affirmata certam ſpeciem non conſtituunt.

Homo eſt animal,
Lapis non eſt animal,
Ergo lapis non eſt homo.

Firma conſequentia eſt: nam ſi lapis ne animal quidem eſt, quomodo poterit eſſe homo, qui eſt animalis ſpecies?

CAPUT XVIII.

De Sophiſmate figuræ primæ.

PRima figura vel tertia ſpecies ſyllogiſmi ſimplicis eſt, *Quando argumentum antecedit in propoſitione, ſequitur affirmatum in aſſumptione.* Regula Philippi hæc eſt: *In prima figura (in qua medius eſt ſubjectum in majore, & prædicatum in minore) cùm minor eſt negativa, nihil ſequitur.*

Ramus lib. 2. cap. 12.

Sophiſma igitur primæ figuræ eſt, quando aſſumptio eſt negata: quia tum certa cõſequentia nihil concluditur. Argumentum

Assumptio in figura prima cur semper affirmata sit.

enim tertium, quod in propositione semper antecedit quæstionis consequens, quo plerunq; est angustius, in assumptione sequitur quæstionis partem antecedentem. Si igitur quod angustius erat in propositione, negatur in assumptione de quæstionis antecedente, non propterea negandum est illud communius, quod in propositione cum argumento tertio consentiebat. Illud enim, *quod est communius virtute illius, cui non repugnat, si sit minus commune, negari non potest.* ut:

Philippus Mocenicus contemplat. 2. part. 3. cap. 5.

Furtum est peccatum,
Ebrietas non est furtum,
Ergo ebrietas non est peccatum.

Resp. In prima figura cùm minor est negata, consequentia est vitiosa. Argumentum tertium est *Furtum:* hoc in propositione consentit, affirmateq; disponitur cum quæstionis consequente, *Peccatum*, quod furto est communius. Idem cùm negatur de quæstionis antecedente *Ebrietas*, non ostendit caussam, quare ipsæ partes sint distrahendæ. Commune enim genus negari non potest, una specie negata. Valde ridiculum est ita ratiocinari: *Ebrietas non est peccatum, quia non est furtum,* quasi verò furtum peccati generalitatem complectatur. Prima itaq; figura semper requirit affirmatam assumptionem, ut si argumentum affirmetur de quæstionis antece-

antecedente, de eodem quoq; idem possit affirmari vel negari, quod de illo argumento in propositione erat enunciatum. *Illud enim quod de re aliqua universaliter affirmatur aut negatur, de illis etiã negabitur vel affirmabitur, de quibus res illa in assumptione affirmatur.*

Philip. Mocen. contemp. 2. part 3. cap 5.

Similis est Sophistica, si quis assumptionem proponat verbis affirmatam, sed suo sensu revera negatam, ut:

Assumptio verbis affirmata, sensu sæpe est negata.

Qui non credit, damnatur,
Petrus credit.
Ergo Petrus damnatur.

Assumptio hîc revera est negata. Rationis enim judicium dictitat, conclusionem sic esse debere: *Petrus non damnatur.* At nulla conclusio negata esse potest, nisi altera antecedentis etiam sit negata.

Propositio autem & assumptio (si axiomaticum sequaris judicium) sunt affirmata.

Similiter assumptio potest esse negata, & tamen bona consequentia aliquid inde deduci, ut:

Assumptio aliquando verbis est negata, sed sensu affirmata.

Qui non credit, damnatur,
Iudas non credit,
Ergo Iudas damnatur.

Hîc conclusio vera & legitima est mentis naturali judicio. At: *Negativam præmissam negativa sequitur conclusio*, ut superiores regulæ docuerunt: conclusio igitur sic fuisset.

Ergo

Ergo Iudas non damnatur. At falſa hæc eſt. Apparet itaq; aſſumptionem in ſyllogiſmo priore nec affirmatam, nec in poſteriore negatam fuiſſe.

Negatio & affirmatio partium in Syllogiſmo vera quid.

Negatio enim & affirmatio ſyllogiſmi præmiſſarum non tam poſita eſt in vinculi cujuslibet axiomatis per ſe conſiderati, ſed in argumenti tertii affirmatione aut negatione. Affirmatum nempe argumentum eſt, cùm ita aſſumitur è propoſitione, ſicuti ibidem erat propoſitum: Negatum, cùm contradicendo enunciatur in aſſumptione.

Argumentum affirmatum & negatum.

Sic in prima figura inquit Dn. Philippus: *Subjectum minoris includi debet in ſubjecto majoris*. Incluſio autem iſta fit, cùm argumentum propoſitionis ita de ſubjecto minoris enunciatur, ut fuit propoſitum, excluſio autem fit per contradictionē. P. Ramus inquit: *Conſentanea affirmando, diſſentanea negando diſponi*. Argumentum igitur, quod contradicendo aſſumitur è propoſitione, revera diſſentit à parte quæſtionis, cum qua diſponitur, reſpectu propoſitionis, in qua idem aliter erat propoſitum, oſtenditq; partem quæſtionis antecedentem non includi in ſubjecto propoſitionis, nec eo modo poſſe diſponi cum conſequente in complexione, quo argumentum tertium erat diſpoſitum cum conſequente parte in propoſitione. Sic in

Lib. 2. c. 4.

priori

priori syllogismo : *Non credit*, argumentum erat in propositione : idque in assumptione cum parte quæstionis antecedente *Petrus*, ita non disponitur, sed contradicendo assumitur, *credit*. Itaq; non includitur Petrus in numero, *Non credentium*, sed excluditur, & inter *credentes* numeratur: & ita argumentum propositionis *non credere*, in assumptione revera de Petro negatur per oppositum *credere*(uno enim oppositorum affirmato, negatur alterum) & sic *non credere* dissentit à *Petro*, ideóque negativè cum eo disponitur assumpto contrario : unde assumptio suo sensu revera est negata, & explicari potest ita : *Petrus non est in numero infidelium*. Et hinc conclusio negatiua rectè sequitur. Ergo *Petrus non damnatur*.

Sic in posteriore syllogismo argumentum, *Non credere*, sic assumitur è propositione, ut erat ibi propositum, videlicet negativè, & quia consentit cum *Iuda*, etiam affirmativè disponitur, vel illud *non credere* de Iuda affirmatur, & sic Iudas includitur numero *non credentium*, sensusq; Assumptionis affirmatus est hic : *Iudas est non credens*, unde conclusio legitima infertur, *Ergo Iudas damnatur*. Aliàs si assumptio revera esset negata, negatam quoq; oporteret esse conclusionem.

Iudicium

Iudicium itaq; de affirmatione & negatione assumptionis dependet ex consideratione argumenti tertii.

CAPUT XIX.

De Sophistica syllogismi compositi.

Simplicis syllogismi naturam vidimus hactenus: Compositus sequitur.

Compositi syllogismi vis præcipua in propositione.

Compositus syllogismus duplex est, connexus & disjunctus. *In utroq; videndum est, ut necessaria sit partium in propositione dispositio, in illo necessaria connexio, in hoc necessaria disjunctio, quæ argumentis inventionis judicari debet. Ideoq; si fallit propositio, vitium magis hæret in materia quàm in forma, h.e. Sophisma non est tam argumentationis quàm argumenti, de quo paulò pòst.*

Ramus lib. 2. ca. 13. & 14.

Connexi modi tantùm duo sunt, quibus bona consequentia verum consequens concluditur ex vero antecedente.

Primus *Assumit antecedens, & concludit consequens.*

Secundus *Tollit consequens, ut tollat antecedens.*

Syllogismi modi connexi vitiosi.

Reliqui duo modi, *Quando tollitur antecedens, ut tollatur consequens, vel quando assumitur consequens, ut concludatur antecedens*, captiosi sunt & fallaces, ut:

Si

Si leo homo est, animal est,
Sed homo non est,
Ergo animal non est.

ET

Si dilectio justificat, ab omnibus hominibus est
Sed est exercenda. (exercenda,
Ergo justificat.

Resp. Sophistica manifesta est, cùm vel antecedens in assumptione tollitur, vel consequens è propositione assumitur. Cùm enim antecedens propositionis aliquando sit angustius suo consequente: negato angustiore, communius propterea negari non potest, ut: *Si neges leonem esse hominem, non propterea negabis eundem esse animal, quippe cùm animalis natura non soli homini, sed aliis etiam viventibus conveniat.* Similiter communiore, quod ad multos pariter pertinet, affirmato, non necessariò illud est affirmandum, quod proprium & singulare quid habet, quod à communiore illo propriè non explicatur, ut: *Si dicas dilectionem esse exercendam, non sequetur illico eam esse justificationis caussam, quia exercitium non ad solam dilectionem, sed ad alias etiam virtutes pertinet.*

Quare non debeat negari vel tolli antecedens.

Quare consequens non possit assumi.

Disjunctus ita syllogismus fallit, cùm non verè tollit id, quod tollere debebat, ut:

Disjuncti syllogismi fallacia.

Aut tropus est in verbis cœnæ, aut τὸ ῥητόν non est deserendum.

Sed

Sed τὸ ῥητὸν non est deserendum,
Ergo tropus est in verbis cœnæ.

Resp. Sophiſma eſt in aſſumptione, ubi pars disjuncti revera non tollitur, ſed aſſumitur: ideoq; concluſio reliquum tollere debuiſſet, ita: *Ergo tropus non est in verbis cœnæ.*

Et hactenus quidem de vitio formæ in ſyllogiſmo, ſeu, mala conſequentia, qua ex veris præmiſsis falſa deducitur concluſio: Materiæ vitium ſequitur.

LIBER

LIBER SECUNDUS, DE VITIO MATERIÆ IN SYLlogismo.

CAPUT I.

Quid vitium materiæ, & quomodo cognoscendum.

MATERIÆ vitium illud est, quod hæret in partibus syllogismi antecedentibus, propositione & assumptione, non ratione formæ, sed respectu argumentorum dispositorum.

Materiæ vitium quid.

Syllogismi enim materia est, *Quæstio & argumentum tertium*, quod cum partibus quæstionis disponitur, unde propositio & assumptio efficitur.

Illudq; si vel utramq; vel alteram saltem quæstionis partem, non rectè & verè arguit, dispositum cum eadem, falsam aut dubiam gignet sententiam: unde propositio vel assumptio, vel utraq;, fit contingens aut necessariò falsa, h. e. impossibilis. Ejusmodi materiæ vitium plerunque solet occultari sub forma Enthymematis, qua reticetur pars illa, quæ dubia aut falsa est, ut monet

Materia syllogismi quæ.

Philippus lib. 3. *Omittitur altera propositio, vel brevitatis caussa, quia cùm nota sit, videtur recitatio ingrata esse, vel quia non satis est firma.* Ideoq; ut vitium deprehendatur, *explenda, quæ desunt,* ut docet Ramus libro 2. cap. 9. Et tum contingens vel dubia pars probanda est prosyllogismo: Falsa verò simpliciter est rejicienda, monstrata falsitate ex locis inventionis, qui non rectè sunt adhibiti. Nam, ut Dn. Philippus inquit: *Ideo falsa est aliqua propositio, quia, aut definitio non congruit, aut caussæ, aut effectus, quorum fit mentio, aut cætera, de quibus loci præcipiunt. Nam cùm loci gignant veras propositiones, cernitur caussa falsitatis, cùm ad fontes reducitur.*

Materiæ vitium quomodo cognoscendum & judicandum.

Omne itaq; judicium de vitio Materiæ ex regulis inventionis sumendum est. Nam verum axioma est, quando pronunciat uti res est: Falsum contrà. Cùm igitur argumenta secundum vim suam, in locis inventionis explicatam, ad sese mutuo arguendum adhibentur, vera fit sententia: cùm ab istis regulis disceditur, fit falsa.

Materiæ vitium quid sit.

Atq; hoc propriè Materiæ vitium dicitur, cùm vel propositio vel assumptio falsa est, propter argumentorum non rectè adhibitorum dispositionem. unde materiæ vitium ap-

appellare posſis fallaciam argumenti, quod ad quæſtionis partes arguendas in antecedente, non rectè eſt adhibitum.

Fallaciæ extra dictionem.

Itaq; hujuſmodi deceptiones vocarunt Fallacias *extra dictionem*, in rebus ipſis hærentes, & ſeptem numero docuerunt. Atqui multò plures ſunt rerum fallaciæ. Nam ex quibus locis veræ gignuntur propoſitiones, ex iiſdem etiam falſæ ſumi poſſunt. At ex ſingulis ferè inventionis locis in ſyllogiſmo fiunt veræ propoſitiones. Ergo ex iiſdem etiam falſæ ſumi poſſunt.

Fallaciæ rerum ex omnibus & ſingulis inventionis locis oriuntur.

Admonitionem igitur D. Philippi ſequentes ad ſingulos locos recurremus, & oſtendemus, quomodo vitioſa exempla cum regulis veris non congruant.

CAPUT II.

De Fallacia cauſſæ.

Cauſſæ Fallacia.

CAuſſæ fallacia eſt, cùm ad effectum demonſtrandum cauſſa adhibetur, quæ vel vera rei cauſſa non eſt, vel inſufficiens.

Sic lupus accuſat ovem apud Æſopum:
Tu bibis ſimul me bibente.
Ergo turbas mihi aquam.

R. Eſt Fallacia cauſſæ latens in parte omiſſa. *Nam bibens in loco fluminis ſuperiore*,

non poteſt eſſe cauſſa *turbationis ejus, quæ fit in loco inferiore.*

Piſcator ad Hoff. pag. 196. diſſerit ita:

Si in hac propoſitione, Panis eſt Corpus, *indicatur, corpus Chriſti cum pane unitum eſſe & præſens : indicatur id aut expreſſè, aut per conſequentiam.*

Sed neque expreſſè, quia Chriſtus non dixit, cum hoc pane unitum eſt corpus meum: *nec per conſequentiam, quia nullo ſyllogismo (qui quidem ſit legitimus, & ex utraq; præmiſſa vera conſtet) ex iſta enunciatione,* Panis eſt corpus, *concludi poteſt hæc:* Cum hoc pane unitum eſt Corpus.

Ergo revera in iſta propoſitione nulla indicatur corporis Chriſti cum pane unio.

Reſp. Cauſſæ fallacia eſt potiſsimum in aſſumptione: nimis enim audacter negat ullum eſſe ſyllogiſmum (*qui veluti cauſſa veritati eliciendæ adhibetur*) quo præſentia corporis Chriſti cum pane ex verbis cœnę poſſit demonſtrari. Syllogiſmus hic eſto:

Syllogiſmus, quo ex verbis cœnæ præſentia corporis Chriſti demonſtratur.

Enunciatio iſta, in qua res duæ diſparatæ vocibus propriis diſponuntur, ſemper indicat illarum rerum unionem & conjunctionem.

Atqui axioma hoc, Panis eſt corpus, *complectitur res duas diſparatas, propriis vocibus explicatas.*

Ergo hoc axioma indicat res duas illas diſparatas,

paratas, corpus nempe Christi, & panem, unitas & sibi præsentes esse.

An non hic syllogismus est legitimus? nec generalis, nec specialis syllogismi simplicis natura, nec primæ figuræ proprietas violata est. utramq; verò præmissam veram esse sic demonstro: Propositio certissima est ex natura & affectione inusitatæ prædicationis, quæ pluribus infrà declarabitur in Elencho oppositorum.

Hîc verò etiam his exemplis illustrari potest:

Columba est Spiritus sanctus.

Sanguis est anima.

In his enunciatis disponuntur duo disparata; & quidem vocibus propriis. Sensus autem est: *Cum illa visibili specie columbæ verè aderat Spiritus sanctus*; ut Dominus Philippus inquit: *Et in sanguine est anima,* ut ipse Deus se per Moisen explicat.

Assumptio porrò dubia esse nequit. Nam *Panem & corpus* res duas disparatas esse vel ipsi adversarii fatentur. utramque verò vocem propriam esse, nec ullam tropicam expositionem hîc admittendam, suprà demonstravimus. Syllogismus itaq; hic & legitimus est & verax, caussam ostendens verissimæ sententiæ, de præsentia corporis Christi in cœna.

ALIUD.

> In hoc Syllogismo nihil vitiosi esse ait Piscator, Anabaptistarum patronus.

Qui carent actu intelligendi, h. e. qui perfecta ratiocinatione non utuntur, credere non possunt.

At infantes carent actu intelligendi.

Ergo credere non possunt, & per consequens non sunt baptizandi.

> Ratio non est caussa fidei procreans, sed impediens.

Resp. Delirantes Anabaptistæ aliena caussa bis falluntur. Primò enim manifesta falsitas est in propositione. Actus enim intelligendi, h. e. *ratiocinatio naturalis unum ex alio concludens*, non tam caussa est procreans fidem, quàm eandem destruens. *Roma.* 8. *Sensus carnis est inimicitia adversus Deum.* Hinc nemo sequens ductum rationis, in Christum potest credere, quantumvis sit sapiens & adultus, ut apparet in discipulis Christi, qui non poterant intelligere scripturas priusquam Christus eas ipsis aperiret, Luc. 24. Ex quo fit manifestum, propositionem invertendam esse, hoc modo: *Quòd ii faciliùs poßint credere, qui non impediantur rationis ductu*, cùm certum sit, *omnem rationem captivandam esse in obsequium Christi*, 2. *Corinth.* 10. Quod si in infantibus actus intelligendi negatur, ipsa fides tamen non negatur, quia vera caussa non negatur. Vera & quidem principalis fidei caussa est *Spiritus sanctus*, qui super infantes per *lavacrũ regenerationis abundè effusus est.* Tit. 3.

> Fidei caussa vera est Spiritus Sanctus.

Hic

Hic fidem in ipsis operatur: quod ni fieret, non posset ad infantes pertinere promissio vitæ æternæ. At *horum est regnum cælorum*, Marc. 10. *Regnum* autem *cælorum tantùm pertinet ad fideles*, Iohan. 3. Ergo infantes credere, est certissimum. Hinc Salvator apertè ait, Matth. 18. *Nolite offendere unum ex pusillis istis, qui in me credunt.*

Deinde fallacia est in consequente ex syllogismo deducto. Nam fides non est caussa administrandi Baptismi (*etiamsi ad fructum apprehendendum facit*) sed mandatum & institutio Christi.

ALIUD.

Nos habemus magnum exercitum. 2. Par. 13.
Ergo facilè vincemus.

R. Est fallacia caussarum non sufficientium. Ideoque respondet Israelitis rex Abias: Nolite ergo pugnare contra Deum, quia non expedit vobis, q. d. vos confiditis caussæ minùs principali victoriæ, magno scilicet exercitui, at principali caretis, Deo scilicet, in cujus manu est victoria. Fallit igitur vos vestra ratiocinatio.

Fallacia caussarum non sufficientium.

Sic Piscator argumentatur in Respons. ad Busch. pag 87.

Muti habent linguam, naturale loquendi instrumentum.

 Ergo

Ergo facultate loquendi non sunt destituti.

Resp. Est fallacia caussæ non sufficientis: Data caussa instrumentali, non protinus sequitur effectum. Perinde est ac si dicat: Asinus habet linguam. Ergo potest loqui. Calceos habet rubros. ergo potest saltare. Respondent germani, Es gehöret mehr zum tantz/denn ein par roter Schuch. Sic plures caussæ requiruntur ad facultatem loquendi, quàm lingua non ligata, videlicet facultas animæ intrinsecus sermonem formans: auditus sonos vocum transmittens ad animum: libera aëris per arteriam attractio & compresſio &c.

Similiter caussa efficiens fallit, cùm propter principaliter agentem, adjuvantes & instrumentales negantur.

Sic Piscator Respons. ad Busch. pag. 65. & 67. concludit:

Solius Christi sanguine sumus mundati.

Solius Spiritus sancti virtute regeneramur.

Ergo per Baptismum non mundamur, non regeneramur.

Resp. Est Elenchus caussæ, quo Sophisticè propter principalem caussa instrumentalis negatur. Solus Christus est caussa principalis mundans nos suo sanguine: solus

Spiritus

Spiritus ſanctus eſt cauſſa principalis efficiens in nobis regenerationis: At cauſſa inſtrumentalis ſeu medium, per quod iſta in nobis fiunt, eſt Baptiſmus, ut Paulus ait Tit. 3. Ipſe Deus ſalvos nos fecit PER lavacrum regenerationis.

Materiæ fallacia.

Similiter fallit materia, ut:

Homo iſte optimè tenet præcepta Ariſtotelis Ethica.

Ergo dulciſſimis conſolationibus mentes afflictas poteſt erigere.

R. Fallacia eſt cauſſæ materialis: Nam Ethica præcepta Ariſtotelis non ſuppeditant materiam conſolationis, ſed illa ex ſolo Euangelio eſt haurienda.

Similiter fallis, ſi ex parte materiæ effectum arguas, ut:

Habeo lupulum & aquam.

Ergo bonam coquam cereviſiam.

Reſp. Eſt fallacia materiæ. Nam lupulus & aqua non ſufficiunt ad bonam cereviſiam coquendam, ſed principaliter polentæ copia requiritur etiam.

Sic & forma decipit, ut:

Negata rei forma, res ipſa eſt neganda: quippe per formam eſt res, id quod eſt.

Piſcat. ad Hoffman. pag. 146.

Sed impii non habent formam Sacramenti, fidem ſcilicet.

Fides non est Sacramenti forma.

Ergo impii rem ipsam, sacramentum scilicet verum non habent.

Resp. Ignoratio veræ formæ hoc Sophisma peperit. Fides formalis cœnæ Dominicæ caussa non est, id quod ipse Piscator suo prosyllogismo testatum facit, séque ipsum evertit, pag. 146. verba ejus hæc sunt: *Sacramenti integritas pendet à divina ordinatione velut à caussa efficiente: à fide autem sumentis, velut à caussa formali saltem ex parte. Etenim divinæ ordinationis scopus est, ut fides sumentis per Sacramentum confirmetur.*

Hîc trìa nominat: *Ordinationem divinam: Fidem sumentis: & Sacramentum.* Efficiens sacramenti caussa est *ordinatio divina*: Effectũ hujus ordinationis est *Sacramentum*, h.e. tota illa actio, qua secundum institutionẽ Christi accipitur cum pane & vino sanguis & corpus Domini. Finis divinæ ordinationis est, ut *fides sumentis* per Sacramentum confirmetur.

Ex his intelligitùr, fidem Sacramenti formam non esse. Forma dat esse rei, perfectionem & consummationem, & nunqnam ab effecto suo perfectionem accipit. At fides, ait Piscator, per Sacramentum augetur, confirmatur, & crescit. Non igitur potest esse forma.

Por-

Porrò forma cum re ipsa ingeneratur, adeò, ut cùm incipit esse forma, res ipsa jam sit plena & perfecta, & formam qui habet, rem ipsam habeat necesse est.

At fidésne cùm Sacramento ingeneratur? éstne in ipso Sacramento, sicuti forma semper est in re formata? Imò non in Sacramento est, sed in homine Sacramentum sumente, ait Piscator. Qui si habet fidem, quæ sit Sacramenti forma, Sacramentum jam ipsum habeat necesse est. At quod jam habet, quomodo illud accedet & capiet?

Manifestum sanè est, fidem & Sacramentum subjectis (*nam fides est in homine, Sacramentum extra eundem, antequam sumat*) & tempore (*fides præcedit longo sæpe tempore ipsam Sacramentalem perceptionem*) distincta non habere rationem formæ & formati: Et Sacramentum non tam esse effectum formatum fidei, quàm caussam adjuvantem, qua fides hominis confirmetur & augeatur.

Sic fine ficto Sinon decipiebat Trojanos: Finis fallacia.

Equum hunc in honorem Deorum vestrorum extruxerunt Græci.

Ergo illum intromittetis in urbem.

R. Finis machinæ istius non fuit honor Deorum, sed eversio Trojæ, quæ etiam subsequuta est.

ALI-

ALIUD.

Cujus finis bonus eſt, idipſum quoq; bonum eſt.

Sed Pontificiæ religionis finis bonus eſt, nam volunt iſta doctrina homines continere in officio, pietate, mutua dilectione, & morum honeſtate.

Ergo ipſa religio bona eſt.

Reſp. Fallacia finis eſt in propoſitione & aſſumptione. Non enim id ſtatim bonum eſt, cujus finis eſt bonus: bonitas enim rei non ex ſolo fine, ſed ex omnibus cauſsis judicanda eſt, ſicuti vi omnium cauſſarum effectum exiſtit. Sæpe bonum quis ſibi proponit finem, ſed reliquæ cauſſæ malæ ſunt. unde illud tritum: *Non ſunt facienda mala, ut eveniat bona.* Nam mala antecedentia ex bono finali ſalvari nequeunt.

Deinde aſſumptio falſa eſt: Finis ille pontificiorum nō bonus eſt, ſed malus, quia excludit fidem in ſolius Chriſti meritum, ſine qua nihil Deo placere poteſt.

Similiter multa alia Sophiſmata ex loco cauſſarum oriuntur.

CAPUT III.

De Fallacia effectorum.

Fallacia effecti.

EFfecti fallacia eſt, cùm id, quod effectum

rei

rei verum non est, ad arguendam suam caussam adhibetur, ut:

Quod destruit & turbat artium doctrinam, quod gignit errores in theologia, id pueris in scholis non est proponendum.

Sed Dialectica P. Rami destruit & turbat artium doctrinam, & gignit in Theologia crassissimos errores Calvinisticos.

Ergo Dialectica P. Ramì pueris in scholis non est proponenda.

Resp. usitatum hoc est & in toto orbe terrarum notissimum Sophisma, non tamen ab aliis nisi Rami doctrinam ignorantibus profectum. Tam crassam enim effecti fallaciam qui fingunt; vel nunquam legerunt P. Rami scripta, nec dignum judicant, quem legere velint, ut ajunt ipsi: vel legendo leviter saltem percurrunt, & non rectè intellecta arripiunt, & ad pravum sensum detorquent: vel si intelligunt, amore tamen & autoritate suorum magistrorum abrepti opiniones usitatas arctè tenent, accuratéque defendunt, rejecta veritatis luce.

Quis verò ejusmodi cæcum & præceps affectuosúmque probabit judicium? Apelles ineptum sutorem de arte, quam non nôrat, audire noluit: nos audiemus & probabimus rigidos istos censores, qui id, quod condemnant,

mant,non intelligunt,& quare improbent, rationibus probare non possunt.

Rami Dialectica non destruit Philosophiam.

Falsum affingunt effectum Dialecticæ Rameæ: Destruit illa, ajunt, & corrumpit artium doctrinam. Dicitur hoc quidem ita, sed non probatur.

Antiquam Philosophorum, Platonis, Aristotelis, Ciceronis doctrinam à Rodolpho Agricola puriùs Germaniæ restitutam; à Philippo mira perspicuitate illustratam, P. Ramus pleniùs excoluit, singula membra artis accuratis definitionibus & distributionibus exposuit, exemplis notissimis illustravit, confusa in ordinem redegit: atq; ita ex arte intricatissima & longissima facilimam & brevissimam effecit: omnium præceptorum in qualibet arte requisivit constantem veritatem, in qua nihil sit heterogeneum, nihil tautologicum, nihil confusum, sed omnia nativa voluit esse artis membra, omnia reciproca, suo loco enunciata, & legitimo ordine proposita.

Quid Ramus in artibus præstiterit.

Hoccine est artes corrumpere & depravare? Probandum est ubinam peccârit Ramus, quibus regulis artium destruxerit doctrinam? sed deficiunt boni viri in hujus rei demonstratione, & condemnationes inanes pro veris rationibus afferunt.

Alterum crimen est multò fœdius & gravius,

vius, eoq; faciliùs deprehendi potest. *Rami Dialectica*, clamitant, *facit Calvinianos, & omnes Ramistæ sunt Calvinistæ. Ergo Rami Dialectica è Scholis est profliganda, exterminanda.*

Rami Dialectica neq; gignit neq; fovet Calvinisticos errores.

Parce, quæso per Deum immortalem, bonis viris, & desine tam gnaviter calumniari, memor octavi præcepti: & priùs accuratè subducito omnes rationes; omniaq; inquire pondera, quibus probes Calvinismum gigni ex doctrina Rami. Si voles id demonstrare, fundamenta capies certissima ex caussis, his enim effecti natura quàm optimè arguitur. Videamus ergo quid valeat inductio.

A causa efficiente concludes ita:

Ramus fuit Calvinista.

Ergo Dialectica ejus faciet Calvinianos.

Hoc illud telum est acutissimum, hæc Achillea hasta, hoc firmissimum & unicum præsidium, quo illi nituntur, nec aliud ad defensionem caussæ suæ capere possunt. Sed facilè hæc clava ex manibus ipsorum extorqueri potest.

Efficiens caussa externa est, nec essentiam effecti ingreditur, ideoque quod de efficiente singulariter dicitur, non necessariò de effecto dicetur. Et vitia personæ ad rem ipsam transferri non debent. Si Ramus fuit Calvinista, non tamen sequetur & Dialecticam ejus esse Calvinisticam. Agè, respondeant boni isti viri ad hæc Enthymemata:

Aristo-

Aristoteles fuit impius Ethnicus.

Ergo organon Aristotelis faciet impios discipulos.

ET

Porphyrius factus est blasphemus Apostata.

Ergo prædicabilia Porphyrii qui discunt, fient apostatæ.

ET

Philippus non fuit Calvinista,

Ergo quicunq; Dialecticam Philippi discunt, non fient Calvinistæ.

Ex materia Dialecticæ Rami non poteris errorem Calvinisticum aliter demonstrare quàm hoc modo:

Præcepta P. Rami continent Theologica dogmata Calvinianorum.

Ergo juventus tam crassum errorem imbibet hac doctrina informata.

Antecedens est falsissimum. Nullum enim in tota Dialectica Rami invenies axioma theologicum: sed purè se intra terminos Philosophiæ continuit: ne exempla quidem Theologica adhibere voluit.

Omnia Rami præcepta multò antè ab Aristotele, Cicerone, Agricola, Philippo fuerunt proposita, si non iisdem verbis & syllabis, tamen eodem sensu. Hoc itaq; argumento, si Ramus condemnatur, simul & reliqui logici condemnabuntur.

Ex

Ex forma fortaſsis objicies ita:

Rami præcepta ſunt informata ad acumen rationis.

Ergo Calviniſtæ illa plurimum uti poſſunt, & eadem utentes decipiuntur.

Miſerrimum ſanè judicium. An non etiam Ariſtotelis, Agricolæ, Philippi Dialectica ad rationis acumen eſt informata? Si non eſt: ne logica quidem eſt.

Dic quæſo, quæ cauſſa eſt, quòd tam multi etiam Philippi diſcipuli in cauſſa Sacramentaria à Luthero ad Calvinũ defecerunt? Mirum, ni hanc etiam culpam tranſferas in Philippi Dialecticam. Sed adverte: Præceptorũ logicorum quò accuratior eſt deſcriptio, eò minùs iis craſsiſsimos ſuos errores tegere poſſunt Calviniani: Et P. Rami doctrina de argumentorum ſingulorum natura eorundémque diſpoſitione, de vocum modificatione per tropos, adeò non defendit Calvinianorum falſam ſententiam, ut eam etiam ſolidiſsimè refutet, ut demonſtravimus, cap. 5. 6. 7. &c. lib. 1.

Ex fine tandem quid concludes?

Propoſitúmne fuit P. Ramo, ut logica ſua Calviniſticum errorem introduceret? Minimè verò. Nullum hujus rei habes argumentum. Voluit ſaltem generaliſsimum inſtrumentũ, ὄργανον ὀργάνων nobis deſcri-

Logica non facit hæreticos

bere, quo uti quis poſſet ad omnium omnino rerum tractationem. Inſtrumentum autem, rem ipſam, in qua occupatur & exercetur, non generat, ſed ſaltem ad rem adhibetur. Logica ita non facit hæreticos, ſed hæretici logica Sophiſticè tam poſſunt abuti in ſuis erroribus, quàm orthodoxi rectè uti in ſuis confeſsionibus.

Proinde cùm nulla ratio monſtrari poſsit, quæ doceat Rami Dialecticam gignere errores Calviniſticos, obſecro omnes bonos viros, ut re ipſa diligentiùs conſiderata aliorũ inſanos clamores non audiant, nec præconceptis ſine ratione opinionibus, juventutem ab hac tanta luce, quam Deus nobis, hoc ultimo langueſcentis mundi ſenio, conceſsit, arceant: ſed patiantur eandem inſtitui certa forma ratiocinandi, & ſolidè diſputandi, ne ab exercitatioribus Calvinianis aut Ieſuitis, qui ſua dogmata in ipſam etiam artem ſpargunt, in errorem pertrahantur.

Sic fallacia effecti eſt, cùm ex negato effecto, cujus negatio ex ſubjecto occupante dependet, ipſa cauſſa negatur: quæ tamen effectum præſtitiſſet ſuum, ſi idoneum objectum habuiſſet. Ita fit, ut duo ſint oppoſita unius rei effecta, ſed in diverſis objectis; ut:

Si indignis infidelibus in cœna verè exhibetur

tur corpus Christi, eosdem etiam vivificat.
Sed non vivificat indignos infideles.
Ergo verè etiam iisdem non exhibetur.

Resp. fallacia effecti est in propositione: nam *vivificare*, quod corporis Christi effectum est, non ad quodlibet subjectum est accommodandum, sed ad certum, & determinatum. Non enim vivificat *quoslibet, sed tantùm credentes.* Connexio itaq; illa necessaria non est, nec vivificatio carnis Christi ad infideles accõmodari potest. Sic revera erat vis sanandi in corpore Christi, dum ambularet in terris, nõ tamen omnes, qui premẽdo urgebant ipsum, vim illam sanandi percipiebant, nisi sola illa fidelis fœmina, quæ sanguinis profluvio laborabat. Euangelium est potentia ad salutem omni credenti: in impiis verò licet odor sit ad mortem; nihil ominus tamen vim salvandi retinet: Et idem Euangeliũ audiunt pii, & impii. Effecto nempe in adverso subjecto negato, res ipsa tamẽ, quæ caussa effecti est, negari non potest. Culpa enim est in subjecto, non in re agente: nam illud sic nõ est affectũ, ut possit aut velit effectũ illud capere. Vini modicè sumpti vis est conservare naturam. At subjectum debet esse temperatum: Febricitantis, intemperie epatis laborantis naturam nõ conservat, sed destruit. Idem tamen vinum bibit sanus

Corpus Christi vivificat, sed tantùm credentes.

Unius rei opposita possunt esse effecta, sed in diversis subjectis.

& febricitans,sed ille ad vitæ conservationem, hic ad destructionem. Sic corpus Christi vis est vivifica. At subjectũ vivificationem recipiens, debet fide instructum esse. Sumunt ita corpus Domini fideles ad vitam: infideles ad mortem, nec culpa est in corpore, sed in subjecto accipiente, quod fide caret.

ALIVD.

Divitiæ excludunt homines è regno cælorum. Christus enim ait, Luc. 18, Quòd perdifficile sit divitem ingredi in regnum cælorum.

Ergo divitiæ sunt malæ.

Resp. Fallacia est effecti: non enim divitiæ excludunt hominem è regno cælorum, sed ipsa impietas, incredulitas, avaritia, quæ frequentia esse solent in divitibus, suis bonis abutentibus.

CAPUT IIII.

De Fallacia subjecti.

Subjecti fallacia est, cùm vel ex falso, vel contingente subjecto affirmato, aut negato, adjunctum ipsum affirmatur, aut negatur, ut:

Baptizandi ex fidelibus parentibus debent esse nati.

Sed Iudæorum, Turcarum, Ethnicorum liberi

liberi non sunt ex fidelibus parentibus nati.
Ergo non sunt baptizandi.

Resp. Subjecti fallacia crassissima est in propositione Calvinianorum, qui Baptismi usum tantùm restringunt ad infantes ex fidelibus parentibus natos, qui parentum sanctitate jam sint in gratia & fœdere per baptismum obsignando. Sed falsum ejusmodi subjectum est. Nam quod purum sanctumq; est, id opus non habet mundatione. At omnes baptizandi infantes opus habēt mundatione per Baptismum facienda: nam Baptismus est lavacrum aquæ in verbo, mundans, purgans & abluens animæ sordes, ut docet Paulus Ephe. 5, Tit. 3. Non igitur pertinet baptismus ad sanctos, & jam in gratia & favore Dei constitutos, sed ad miseros peccatores, qui ex carne nati, caro sunt, & regnum Dei ingredi non possunt, nisi aqua & spiritu regenerentur, Iohan. 3. Neque soli fidelium liberi baptismo mundandi sunt à peccatis, verùm etiam infidelium. Qua ratione enim aliàs admissi essent ad baptismum patres nostri, quorum majores sub gentilismo vixerunt. Christi vox baptismum instituentis generalius monstrat subjectum, cùm inquit: Baptizate OMNES GENTES. Gentium voce non intelligit fideles sanctos, sed omnes omnino miseros peccatores.

Non fidelium tantùm, sed infidelium etiam liberi sunt baptizandi.

August: Non generatio, sed regeneratio facit Christianos.

ALIUD.

Rhetorica occupatur & exercetur in dicendi artificio.

Ergo omnia, quæ ad dicendi artificium pertinent, ut inventio, dispositio, memoria, elocutio, pronunciatio, in Rhetorica doceri debent.

Ratio dicendi non est propria Rhetoricæ, sed communis omnium artium logicarum.

Resp. Subjecti communis fallacia est in antecedente. Dicendi ratio non solius est Rhetoricæ subjectum, sed commune trium artium logicarum, quæ hinc dicuntur artes dicendi, quòd communiter dicendi artificium, & rationem doceant. Quælibet ex his suam partem in dicendo sibi vendicat: Grammatica vocum proprietatem singularum, & conjunctarum structuram: Dialectica rerum tractationem, inventionem videlicet & dispositionem: Rhetorica solùm vendicat sibi elocutionem & pronunciationem, ut ornatum sermonis doceat. Memoria si quid artis habet, ad methodum logicam pertinet, quæ memoriæ nutrix est optima.

ALIUD.

Vinum in poculis aureis & argenteis mensæ apponitur,

Tu non habes apposita pocula aurea & argentea.

Ergo vinum non habes. R. Fal-

R. Fallacia ſubjecti eſt contingentis: vinum enim non neceſſariò diſtribuitur per pocula aurea & argentea, quin etiam ſæpe adhibentur vitra & vaſa alia: & maxima pars vini ſine poculis aureis & argenteis bibitur.

CAPUT V.

De Fallacia Adjuncti.

FAllacia adjuncti eſt, cùm ex adjuncti vel falſi, vel contingentis, aut etiam communis affirmatione vel negatione, Sophiſticè ſubjecta affirmantur vel negantur, ut:

Adjuncti fallacia.

Nova non ſunt recipienda in ſcholas,
Sed præcepta Rami ſunt nova.
Ergo non ſunt recipienda in ſcholas.

R. Fallacia adjuncti eſt in propoſitione & aſſumptione. Nova enim ſi bona ſunt, rejici non debent propter novitatem, ſicuti omnia antiqua non bona ſunt, nec propter antiquitatem retinenda: Sed bonis novis potiùs corrigenda & emendanda. Nam & illa, quæ jam antiqua ſunt, aliquando nova fuerunt, cùm primùm invenirentur. Et ſi nihil novi invenire liceat, quomodo excuſabuntur majores noſtri, quorum alii artes invenerunt, alii inventas excoluerunt, emendarunt, amplificarunt?

Novitas an ſit repudianda.

Deinde falſiſsimum eſt, *præcepta Rami nova eſſe:*

Rami præcepta non sunt nova

va esse: Imò Ramea doctrina antiquissima est Socratica & Platonica disserendi ratio, Aristoteli non inusitata, Ciceroni non parùm frequentata. Nova autem videtur, quia studio P. Rami è tenebris in lucem de novo est producta.

ALIVD.

Pallidus est.

Ergo est studiosus literarum.

Resp. Est fallacia communis adjuncti, quod pro proprio adhibetur. Nam pallor commune adjunctũ est studiosorum, amatorum, febricitantium, ebriosorum. Non igitur certum subjectum arguere potest.

ALIVD.

Vbbius ad Hoff. pag. 71. 74. 76. 87. 93. 98.

Proprietates essentiales nunquam possunt abesse à suo subjecto.

Sed visibilitas & palpabilitas essentiales sunt proprietates corporis.

Ergo à corpore nunquam abesse possunt. Et per consequens.

Corpus verum ubicunq; est, ibi semper potest videri & palpari.

Sed in cœna Christi corpus nec videri potest, nec palpari.

Ergo Christi corpus in cœna revera præsens non est.

Resp. Adjuncti fallacia decipiuntur, qui credunt hanc argumentationẽ firmam esse.

Etsi

Etsi enim rectè adjunctis affirmatis subjecta affirmantur: non tamē contrà, adjunctis negatis subjecta rectè negantur. Christus quidē, cujus autoritate argumenti hujus certitudinem stabilire conantur, ex affirmatione adjunctorum, *visibilitate & palpabilitate*, subjecti, *corporis videlicet sui* veritatem rectè demonstravit. At contrà negatis istis proprietatibus tantùm, non efficitur, ut corpus ipsum negandum videatur.

Adjunctis negatis, subjecta perpetuò non negantur.

Proinde propositio utriusque syllogismi magna infirmitate laborat: ídque ex fundamento logico demonstrabimus ita:

I. Subjectum & adjunctum argumenta sunt *modo quodam consentanea*, ideoq; tam absolutè non consentiunt, ut ex unius negatione, alterius essentia statim sit neganda: præsertim ex adjuncto subjectum. Nam *Adjunctū suo subjecto levius est*, h.e. leviorem habet consensionē cum suo subjecto, quàm subjectum cum suo adjuncto. Subjectum enim quasi quoddā substerniculum præbet adjuncto, facitq; ut illud alicubi esse possit. Subjectum ita firmius est, quia per se subsistit, & posito adjuncto quasi sua sponte accurrit, ut veluti locum subsistendi ei præbeat. Adjunctum verò suo subjecto est levius, quia non per se, sed in subjecto suo subsistit, cum quo ita necessariò non cohæret, sed sæpe recedit.

Ram. lib. 1. cap. 11.

Adjunctum suo subjecto est levius.

Subjectum firmius adjuncto.

Ideoq; posito subjecto, non necessariò ponuntur adjuncta: At positis adjunctis, necessariò ponenda sunt subjecta, quia adjuncta nullibi sunt nisi in subjectis, ut, malè concludo:

Animam habet rationalem.
Ergo virtute & eruditione est præditus.

Rectè autem sic:

Virtute & scientia magna est instructus.
Ergo habet animam rationalem.

Accidentia enim, ut inquit Dn. Philipus, non per se subsistunt, sed sunt in alio mutabiliter.

Subjecti essentia integra est, etiam absque adjunctis.

II. Definitio utriusq; argumenti plenius idem declarat. *Subjectum est, cui aliquid adjungitur: Adjunctum, cui aliquid subjicitur.* Subjectũ nempe res est caussis suis jam constituta, absoluta & perfecta, in quibus suam habet essentiam: quicquid jam subjecto *præter essentiam*, ut inquit P. Ramus, accedit, id ejus est adjunctum. Intelligitur ergo subjecti essentiã integram esse, etiam extra considerationem adjunctorum: & sive adjuncta adsint, sive absint, essentiam subjecti nec augere nec minuere.

Ex quo manifestus etiam est error eorum, qui corporis adjuncta propria *essentiales proprietates* vocant, & quidem hoc sensu, quòd sine his essentia corporis salva esse nequeat.

Nam

Nam si hoc verum est, non amplius adjuncta sunt, sed potiùs Caussæ: quippe caussæ essentiam rei solæ constituunt, præcipuè materia & forma: adjuncta verò præter essentiam accedunt ad rem, plenè jam caussis suis constitutam. Et proprietates corporis nemo hactenus essentiales appellavit caussas, rei essentiam constituentes: sunt enim qualitates, ut docet Physica. Omnis autem qualitas adjunctum est: proinde potest abesse etiam rei proprietas, substantia integra manente.

Corporis adjuncta propria non rectè vocantur essentiales proprietates.

Hîc itaque rationibus firmissimè demonstratur: adjunctis affirmatis rectè affirmari subjecta: negatis verò illis, hæc necessariò neganda non esse: nec sublatis proprietatibus naturalibus, ipsam substantiam tolli. Etsi enim proprietates naturales illæ, communi ordine & cursu semper sint in subjectis, & per naturam, quæ tenorem semper observat suum, non facilè mutentur, tamen sua natura talia sunt, ut mutari possint, & abesse citra essentiæ corruptionem, disponente id ita naturæ auctore Deo: Is enim, qui essentiis rerum illas adjunxit pro sapientia sua & voluntatis libertate: is etiam eadem potentia salvis essentiis proprietates removere potest.

Adjuncta propria etiam mutari possunt & abesse à subjecto.

Declaratur res exemplis.

Fer-

Ferri naturalis proprietas est grave esse, & semper tēdere deorsum, nisi mediū crassius impediat.

Puellarum humanarum proprium est concipere non nisi ex virili semine.

Corporis humani adjunctum est videri, palpari posse, non transire per aliud corpus (natura enim abhorret à penetratione dimensionum) sed corpori cedere, cibo & potu conservari.

Nostra corpora naturaliter nu-

Hæc corporis naturalia propria aliquando tolluntur, manentibus integris subjectis,

Ferrum in aquam delapsum natare cepit, 2. Reg. 6.

Virgo Maria cōcepit in utero sine virili semine, & ex pura fœminei seminis massa homo factus est, Lucæ 1.

Christus suo corpore invisibilis factus est, Luc. 24. Et tactu aliquando prehendi, teneriq; nō potuit, Sed illæsus transivit per medium Iudæorum, Luc. 4. Idem sepulcro clauso, & lapide obsignato resurrexit, Matth. 28. Claussasq; januas transivit, Ioh. 20. nec amplius edit & bibit.

Nostri corporis accidentia in altera vita

nutrimento, somno, quiete opus habent, sunt gravia & tarda.	ta mutabuntur, 1. Cor. 15. Ex animali fiet spirituale: ex corruptibili incorruptibile, ex infirmo potens, &c. Et Phil. 3. Nostrum corpus humile, simile erit glorioso corpori ejus. Et tamen in carne nostra videbimus Dominum, Hiob 19.

Rectè itaq; Dominus & verè corporis sui veritatem demonstravit adjunctis, visibilitate & palpabilitate. Videte, inquit, *& palpate, quia ego sum*, q. d. Vos creditis me esse spectrum & non vivum hominem. Atqui ubi visus arguit veram hominis formã, & tactus simul deprehendit ossa & carnem, ibi verum hominem esse certum est.

Visibilitas & palpabilitas corporis veritatem probant.

Vos videtis meam formam, vos tactu percipitis carnem & ossa mea: ergo me verum hominem esse credetis. Similiter vitam suam sumptione cibi & potus demonstravit. Qui enim comedunt & bibunt, non mortui sunt, sed vivunt. Christus cum discipulis comedit atq; bibit: Ergo tum non amplius fuit mortuus, sed vivus. Contrà malè & sophisticè argumentantur illi, qui ex proprietatibus vel adjunctis negatis, concludunt substantiam esse negandam, ut supra

prà demonstravimus. Quis enim hoc negatum probaret: Christus jam nõ edit, neq; bibit, ergo amplius non vivit? unum notissimum exemplum adhuc apponam. Loquendi facultas proprium est hominis adjunctum inter creata animalia: hoc affirmato, subjectum ipsum est affirmandum, *Ut, Animal illud loquendi facultate præditum est, ergo homo est.* At sicuti loquendi facultas essentiam hominis non constituit, ita sæpe impeditur, & aliquando à subjecto removetur, ut in mutis, quibus tamẽ ipsa essentia integra manet: nec enim valet argumentatio: *Iste loqui non potest, ergo non est homo.*

Nullum igitur robur est in hoc argumento, de quo tantoperè gloriantur Calviniani, quo unico tanquam firmissimo præsidio nituntur, quo vel solo simpliciores cogere conantur, ut tropum in verbis cœnæ admittant, & corpus à cœna absens credant.

CAPUT VI.

De Elencho oppositorum.

DE consentaneis actum est hactenus, Dissentanea sequuntur, *quæ à re dissentiunt, quam arguunt*, ut, *Diversa & opposita.*

Diversa. Diversa *sola tantùm ratione dissentiunt*, & levem quandam gignunt rerum discretionem

nem atque distinctionem, & rarò syllogisticam dispositionem ingrediuntur, unde Sophistica singularis hîc non est.

Opposita autem, *quæ ratione & re dissentiunt*, firmiores suppeditant demonstrationes, & non rarò fallaci veritatis specie decipiunt. Accuratè itaq; eorum vis observetur.

Generalium omnium oppositorum natura duobus (præter definitionem) axiomatibus à P. Ramo indicatur.

Lib. 1. cap. 15.

Axioma primum sic est: *Opposita eidem attribui, secundum idem, ad idem, & eodem tempore non possunt.* Si igitur eidem attribuuntur non *secundum idem*, id est, non secundum easdem rei partes, sed diversas, nec ad idem, h. e. non eodem respectu & significatione, nec eodem tempore, sed diverso: verè opposita non sunt, nec ut dissentanea se arguere possunt; ut Turcarum, Iudæorum, & aliorum impiorum contra nostram religionem hoc argumentum est:

Oppositorum proprietas prima.

Passus, crucifixus, mortuus & sepultus, non est omnipotens & *vivens Deus.*

At Christianorum Deus, est passus, crucifixus, mortuus, sepultus.

Ergo Christianorum Deus non est omnipotens & vivus Deus.

R. Est

R. Eſt fallacia oppoſitorum: Nam oppoſitio hîc nõ eſt ſecundum idem: quia paſsio facta eſt, nõ in divinitate, ſed humanitate perſonæ Chriſti: Deinde nõ eſt ad idem, h. e. idem reſpectus, quia paſsio & mors Chriſti nõ ſpectavit extremam deletionem, ſed humani generis liberationem. Denique non intelliguntur de eodem tempore. Nam ante annos mille & pluſquam quingentos paſſus, crucifixus, & mortuus eſt in carne; poſtea reſurrexit tertio die, inde vivus poténſque aſcendit in cœlum, nec amplius patitur aut moritur, ſed vivit & regnat in æternum.

ALIVD.

Qui major eſt, huic minor nunquam poteſt eſſe par aut æqualis.

Sed pater eſt major filio, *Iohan.* 14. Pater major me eſt.

Ergo filius in divinitate patri nunquam par eſt aut æqualis.

R. Eſt fallacia oppoſitorum, quæ hîc non intelliguntur ſecundum idem, & ad idem. Nam Chriſtus patre minor eſt ſecundum humanitatem, non ſecundum divinitatem. Deinde non eſt idem reſpectus. Loquitur enim Chriſtus in illo dicto, non de eſſentia divina, (*de qua agit ſyllogiſmi propoſitio*) ſed de officio ſuo & ſtatu humiliationis in tempore exinanitionis. Pater erat perſona

Pater quomodo dicatur major filio.

persona mittens. Filius persona missa. Pater non erat miser & humilis, sed plenam gloriæ, majestatis, beatitudinis possessionem occupabat: Filius exinaniverat seipsum, assumens formam servi, sustinens pro nobis omnis generis calamitates. Hoc respectu patre minor est. Et hoc argumento consolatur discipulos, quòd ad patrem velit ire, qui se sit major, h. e. quòd in illa miseria & humilitate diutiùs non sit futurus, sed perfecto & absoluto redemptionis opere, ad patrem in priorem gloriam, majestatem, & potentiam sit rediturus, & auxilia præsentia suis discipulis exhibiturus.

Sophistica etiam abusio est hujus axiomatis; Si quod commune est duobus oppositis, de altero neges ideo, quòd alteri sit attributum, ut:

Homo est animal
Ergo Bestia non est animal.

Respondetur vulgo, opposita non secundum genus, aut communia accidentia opponi; sed secundum proprium aut differentiam.

Tu adde: Regulam oppositorum hîc trahi in abusum, quia hîc non duo opposita uni subjecto attribui, sed de duobus oppositis subjectis sua forma differentibus, unum

commune genus affirmativè rectè prædicari. Animalis natura communiter ad essentiam tum hominis tum bestiæ pertinet, ergo rectè de utroq; dicitur. Neque enim bestia & homo opposita sunt, respectu hujus generis, ideoq; si illud de uno affirmetur, de altero negari propterea non debet.

2. Oppositorum proprietas.

Alterum axioma oppositorum ex priore fluens, sic est: *Uno oppositorum affirmato, alterum negatur.*

Cùm enim ita dissentiant, ut duo plurá-ve uni attribui non possint simul; sequitur, uno dato, expelli reliqua. unde crassissima Sophistica est, si quis opposita duo aut plura uni attribuat, ut:

Si gratia Dei salvamur, non debent excludi bona opera,

Sed primum est.

Ergo secundum.

Bona opera excluduntur à gratia.

R. Connexio propositionis falsissima est, nam ex lege oppositorum uno affirmato, alterum negari debuisset. Gratia enim Dei & bona opera in caussa justificationis sunt opposita. unde rectiùs Apostolus argumentatur, Gal. 3. *Iustus ex fide vivit, ergo nemo per legem justificatur.* Rom. 3. *Gloriatio operũ exclusa est per legem fidei.* Rom. 11. *Quod si per gratiam est justificatio, non jam ex operibus: alioquin gratia non est gratia.*

So-

Sophiſma item eſt, ſi quis uno oppoſitorum negato, alterum ſtatim concludat. Nam unius negatio non neceſſariò ſtatuit alterius præſentiam: ſicuti unius affirmatio alterum excludit propter realem diſſenſionem. Sic Charinus valde ineptè argumentatur, Act. 2. ſcen. 2. Andriæ apud Terent.

Vno oppoſitorum negato, non rectè affirmatur alterum.

Philumena non datur Pamphilo,
Ergo mihi dabitur.

Reſpondet ſervus, *Ridiculum caput: quaſi neceſſe ſit, ſi huic non dat, te illam uxorem ducere.* Poſsit nempe alius eſſe, qui illam ducat Charino excluſo.

Ne quidem valet ejuſmodi argumentatio ex contrariis, quorum tamen unum uni tantùm opponitur, niſi priùs conſtet, alterum ex duobus neceſſariò de ſubjecto iſto affirmandum eſſe, ut:

Athanaſius non fuit maritus,
Ergo fuit uxor.

Maritus & uxor contraria quidem relata ſunt, ſed altero negato, alterũ hîc neceſſariò non eſt affirmandum, quia neutrum ex his verè de Athanaſio dici poteſt.

Lapis non videt,
Ergo lapis eſt cæcus.

R. Nec videre nec cæcum eſſe lapidi convenit, ideoq; uno negato alterum neceſſariò non eſt affirmandum.

At si alterum ex duobus necessariò insit subjecto, tum quidem sine errore ex unius negatione, alterius affirmatio concludi potest. idque magis judicio syllogismi disjuncti quàm vi oppositionis, ut:

Aut Deo serviendum est, aut Mammonæ,
Non autem Mammonæ,
Deo igitur.

CAPUT VII.

De Disparatorum prædicatione inusitata.

Opposita sunt duplicia, *Disparata & contraria.*

Disparata.

Disparata sunt, *quorum unum multis pariter opponitur.*

Ideoque etiamsi non sint contrariæ naturæ, tamen uni subjecto, secundum idem, ad idem, & eodem tempore attribui non possunt: sed uno affirmato, negandum est alterum, secundum regulas superiores.

Hinc *Impossibiles* à Philippo dicuntur propositiones, in quibus pugnantia junguntur, aut species disparatæ, ut *Cæcitas est visus, aper est cervus.* Logica enim non videt modum, quomodo opposita *ratione & re dissentientia* affirmando jungi posint. Ideóque P. Ramus lib. 2. cap. 4. inquit: *Consenta-*

ſentanea affirmando, Diſſentanea negando diſponuntur.

Hoc fundamento multi perſuaſi arbitrantur nullum diſparatum de diſparato propria voce affirmari poſſe, ſed in ejuſmodi axiomatibus ſemper tropum quærendum & explicandum eſſe: id quod verum quidem eſt in exemplis Philoſophicis, at non in omnibus Theologicis.

Impoſsibiles propoſitiones.

Cùm enim Theologia longè excedat humanæ rationis captum, ſæpeq; tranſcendat logicas regulas, reperiuntur quædam propoſitiones vel axiomata, in quibus diſparatum de diſparato affirmativè enunciatur vocibus propriis, & quidem verè, quòd teſtimoniis divinis, ſine ulla dubitatione, fides eſt habenda.

Hujuſmodi axiomata Theologi vocarunt prædicationes inuſitatas, eáſque definiverũt ita: *Inuſitata prædicatio vel propoſitio eſt, in qua res duæ diſparatæ vocibus propriis affirmatè junguntur, unúmque dicitur eſſe alterum, propter arctiſſimam conjunctionem, & realem utriusq; ad invicem præſentiam.*

Inuſitata prædicatio quid

Hæc definitio ut rectè intelligatur, explicanda eſt, & exemplis illuſtranda.

I. Inuſitata dicitur reſpectu rationis humanæ, quæ artis regulis illum enunciandi modum probare non poteſt. Omnia enim artis

Inuſitata unde dicatur.

præcepta uſitata ſunt, id eſt, uſu & experientia per rationem inventa & approbata. Sic obſervavit ratio longo uſu & experientia diſſentanea negando enunciari, atq; hunc uſitatum modum in logica deſcripſit. At nunquam eadem ratio notavit apud eos, qui logica tantùm naturali vel artificiali ſunt uſi, diſparatorum affirmativam diſpoſitionem. Ideóque prorſus eſt inuſitata rationi, & captui humano inexplicabilis. Deus autem cùm hoc enunciandi modo inuſitato & ſingulari utatur, ab ipſo ſolo explicatio & ſenſus horum axiomatum peti debet.

Materia inuſitatæ prædicationis. Argumenta diſparata & voces propriæ.

II. Materia vel argumenta inuſitati axiomatis ſunt res duæ, diſparatæ ſubſtantiæ, vel ſpecies non confuſæ aut permixtæ, ſed diſtinctæ, ita, ut quælibet veram ſuam & integram naturam retineat. Voces etiam propriæ ſunt non tropo modificatæ nativámque & propriam retinent ſignificationem, ut res illæ ipſæ intelligantur, quæ vocum nativa ſignificatione exprimuntur.

Forma.

III. Forma eſt affirmativa diſpoſitio, qua unum dicitur eſſe alterum, ita ut vinculũ ſit hîc verbum Subſtantivum, E S T, idque affirmatum.

Finis, qui verum ſenſum inuſitatæ propo-

IIII. Finis hujus inuſitatæ enunciationis eſt, ut doceat res duas diſparatas, ut vinculo affirmato vocibus propriis logicè conjunguntur

junguntur, ſic realiter ſibi præſentes, unitas & conjunctas eſſe. Ideóque Deus ipſe exempla iſtiuſmodi, in quibus unum dicitur eſſe alterum propriè, ſic exponit, quòd unum ſub altero ſit conjunctum, unum in altero, unum cum altero.

ſitionis complectitur.

Inuſitatæ prædicationes quomodo explicandæ.

Exempla notentur hæc:

Colũna nubis erat angelus Domini, Exod. 14.		Angelus Domini tollebat ſe cum nube, Exod. 14.
Sanguis eſt anima, Deu. 12.		In ſanguine eſt anima carnis, Levit. 17.
Filius hominis eſt filius DEI vivi, Matth. 16.	*Hæc Axiomata à ſacra ſcriptura & eruditis theologis explicantur ita.*	In Chriſto habitat omnis plenitudo divinitatis, Col. 2.
HOMO eſt DEUS.		Eſt Deus nobiſcum, Eſai. 7.
Columba eſt Spiritus ſanctus, Matt. 3		Cum illa ſpecie viſibili vereàderat Spiritus ſanctus; Philippus & Calvinus.
Panis eſt corpus, Matth. 26.		In, cum, & ſub pane realiter præſens eſt corpus Chriſti: Lutherus.

Habes hîc exempla inuſitatæ prædicationis, in quibus unum dicitur eſſe alterũ, quia unum eſt in altero, vel cum altero unitum, conjunctum & præſens: ideoq; rectè reſolvuntur in explicatione per particulas IN, CUM, SUB, Deo ipſo talem interpretationem monſtrante.

CAPUT VIII.

De argumento Piſcatoris, quo conatur omnes inuſitatas propoſitiones tollere.

HAnc ſanam & neceſſariam in Theologia de inuſitatis prædicationibus doctrinam, aliqui cauſſæ Calvinianorum addicti, vel prorſus tollere, vel ſaltem labefactare conantur, ut illa oppreſſa & ex oculis piorum remota, tropum in verbis cœnæ tueri poſsint, & corporis Chriſti in cœna præſentiam eò tutiùs negent.

Sed videamus, quàm logicè illi, & quibus machinis hanc bene ex verbo Dei ſtructam arcem deſtruere laborent.

Quæſtion. pag. 1. Reſponſ. ad Hoff. pag. 19.

Iohannes Piſcator omnino negat ullas eſſe inuſitatas prædicationes: omnia exempla, in quibus diſparatum de diſparato affirmatè enunciatur, per tropicam expoſitionem reducens ad regularem aliquem modum.

Fundamentum ejus, quo nititur, eſt hoc:

Cùm

Cùm unum dicitur esse alterum propriè loquendo: tum aut idem de se ipso aliter tantùm nominato dicitur, aut definitio de definito, aut definitum de definitione, aut genus de specie.

At in prædicationibus verborum cœnæ & similibus, in quibus disparatum de disparato affirmativè enunciatur, quas inusitatas vocant, nõ dicitur definitio de definito, aut contrà, nec idem de se ipso, nec genus de specie.

Ergo inusitatæ prædicationes non propriè loquendo unum dicunt esse alterum, sed per tropum sunt explicandæ, & ita reducendæ ad modum regularem.

Resp. Propositio infirma est, fallax & lubrica, & à re prorsus aliena.

I. Turpissimam artium confusionem introducit. Nam distinguit inter axioma proprium & tropicum, ut disertè docet defensio Piscatoris, pag. 19. ubi ait: *propria prædicatio est, cujus prædicatũ vel copula accipitur in nativa significatione: Tropica, cujus prædicatum vel copula accipitur per tropum.* Et hîc definit propriã prædicationẽ ex dispositione argumentorum. Atqui confunduntur ita Grammatica, Rhetorica, & Dialectica. In omni enim oratione duo sunt spectanda, sermo & res. Circa sermonem versantur Grammatica & Rhetorica, illa sermonis docet puritatem & elegantiam propriam, hæc explicat or-

Se ipse refutat Piscator pag. 55 ubi ait: tropus ferè est in enunciatorum subjectis.

Axioma non rectè dividitur in tropicum & proprium

natum, qui est in tropis & figuris. Circa res versatur Dialectica, easq; certis argumentorum locis invenit, constantissimisq; judicii regulis disponit, in axiomate, Syllogismo & Methodo.

Ex quo intelligitur, Axiomatum vel prædicationum doctrinam totam esse logicam, nec sermonis proprietate, quæ ad Grammaticam, aut modificatione, quæ solius est Rhetoricæ, describendam & distribuendam: & tropicam vocis vel nativam significationem dispositione argumentorum non esse judicandam: quod enim unius artis propriũ est, ad alteram transferri non debet. Rectè quidem dicitur secundũ Grammaticam & Rhetoricam, quòd vox in oratione sit propria aut tropica, Totum verò axioma nunquam rectè proprium, aut modificatum vel tropicum dicitur. Est enim axioma non per & propter voces, sed per argumentorum dispositionẽ, quæ mentis est, non externi sermonis. Sic ergo contra prædicationem tropicam concludes:

Vox in oratione est propria aut tropica.

Quod tropo non est modificatum, id tropicum dici non potest.

Sed prædicatio tropo non est modificata:
Ergo prædicatio tropica dici non potest.

Assumptionem probabis ita:

Omnis

Omnis tropus est in verbo, quod mutatur à nativa significatione in aliam.

At prædicatio non est verbum aliquod in axiomate, cujus significatio mutatur, sed est affectus partis consequentis ad antecedens.

Ergo in prædicatione non est tropus.

II. Propositio eadem infirma est, & insufficiens. Infirma est, quia argumentum arguens proprietatem vocis, alienum est, & valde lubricum. Quis enim rerum illarũ (quæ in propositionis consequente enumerantur) dispositione vocis proprietatem effici contendet? si connexio necessaria est, sequetur, omnia ista axiomata, in quibus *idem de se ipso, definitio de definito, genus de specie* dicitur, propriis vocibus enunciata esse, & in nulla unquam parte tropum esse posse. Atqui hoc falsum est, nam & definitio & genus sæpe vocibus tropo modificatis exprimuntur. Dialectica definitur à Ramo ita: *Dialectica est ars bene disserendi.* Hîc definitio est & definitum, neque tamen unum dicitur esse alterum propriè, Piscatoris judicio: *Ille enim artis* vocabulo, propriè accepto, intelligit *habitum in mente artificis.* Hîc autem accipitur *pro præceptis aut doctrina literis descripta.* Piscatori itaque *in vocabulo artis est Metonymia effecti.* Deinde *disserere* est illi pro-

Propositio Piscatoriani Syllogismi infirma.

Ideo alienum est.

Ideo lubricum est, quia constanter & certò vocum proprietatem non probat.

propriè *disseminare*, ideoque metaphoram agnoscit.

Si igitur ejusmodi argumentorum dispositio, qua unum dicitur esse alterum, necessariò proprietatem vocum non requirit, sed tropos interdum admittit: non necessariò etiam proprietas vocum ad ista tria vel quatuor rerum genera restringetur.

Vnum dicitur esse alterum multis modis.

Insufficiens quoque est propositionis inductio, non enim enumerat omnes modos, quibus unum dicitur esse alterum, & quidem propriè. Per effectum & caussam unum aliquando dicitur esse alterum, ut *Deus est creator mundi*. Similiter genus de specie enunciatur in syllogismis figuræ tertiæ, ut *Quoddam animal est rationale*. Item, *Iehova est æternus Deus*, ubi res nominata de nomine dicitur: Item, *Homo est mortalis*, ubi adjunctum de subjecto prædicatur. At excipiet Piscator hoc exemplum, quòd non unum hîc dicatur esse alterum, sed tantùm alterius particeps, quippe accidens enuncietur de sua specie. Qualis ratio etiam in iis est, in quibus proprium adjunctum dicitur de subjecto. ut *Homo est visibilis: Socrates disputat*. Ego verò quæsierim ex Piscatore, an non in his quoq; unum dicatur esse alterum? An non rectè & propriè homo dicitur esse mortalis? Num alio modo homo dicitur esse animal? Minimè.

mè. Forma axiomatis una est. Nam verbum substantivum, E S T, vinculi vices sustinet in utroque, arguitque duas istas partes revera esse consentaneas & conjungendas, seu, ut Dominus Philippus inquit, in affirmativę propositionis definitione, *Prædicatum adesse seu inesse subjecto.* ut igitur animalitas inest homini, sic etiam mortalitas. Sed in posteriore, ait Piscator, alterum tantùm est particeps. alterius seu altero præditum, *Homo scilicet præditus est mortalitate seu ejusdem particeps.* At, inquam ego, Similiter *Homo est particeps animalitatis seu naturæ animalis.* Nulla igitur hîc differentia.

Non hîc discrimen est in forma & modo prædicandi, sed tantùm in materia, hoc est, argumentis dispositis.

Et in hoc, *Ille disputans est Socrates, vel: Socrates est ille disputans*, unum dicitur esse alterum propriè loquendo, nec commodè Socrates dicetur particeps disputantis aut disputante præditus: Prædicatur autem hîc accidens de specie, teste Piscatore. Ergo sunt alii etiam modi, quibus unum dicitur esse alterum, quàm quos ille recensuit. Huc pertinent etiam exempla inusitatarum propositionum, ut *Deus est homo*, *Sanguis est anima*, *panis est corpus.* Verùm hujusmodi exempla è numero propriarum prædicationum hoc suo syllogismo ad tropicas remittit.

Atqui præposterè agit, & ὕστερον πρότερον committit: Doceat priùs propositionis suæ verita-

veritatem, & inductionis sufficientiam probet, quàm eadem in allatis exemplis proprietatem tollat. An non ridiculus haberetur grammatista, si sic argumentaretur?

Nomina secundæ declinationis habent terminationem in US, EUS, UR, UM.

At MAGISTER *non habet illarum terminationem aliquam.*

Ergo MAGISTER *non est nomen secundæ declinationis.*

Probandum priùs fuerat disputanti, non esse plures terminationes quàm illas quatuor. Similiter agit Piscator in hac disputatione: In hoc axiomate, *Panis est corpus*, non dicitur unum esse alterum propriè, quia non dicitur *definitio de definito, aut idem de se ipso, aut genus de specie.* Atqui, quis assentietur illi de propositionis veritate? Quid respondebit illi, qui propositionem informaret ita: *Cùm unum dicitur esse alterum propriè loquendo, tum aut idem de seipso dicitur, aut definitio de definito, aut genus de specie, aut disparatũ de disparato, aut nomen de re nominata, aut caussa de effecto, &c.* Hanc sua propositione opposita non refutabit, hujus enim tanta est autoritas, quanta illius, & quod Piscatori licet sine ratione facere, id cogetur etiam alteri concedere. Hoc igitur argumento nihil efficiet, afferat aliud

aliud fortius: nec omnem prædicationem affirmet esse regularem, propriam & tropicam.

Veteres Theologi & recentiores insufficientem vulgarem prædicationum distributionem existimantes, propter exempla sacrarum literarum, tertium modum addiderunt. ut docet Bonaventura lib. 3. Sent. Distinct. 7. Et D. Philipus tres quasi species prædicationum in libro primo enumerat ita: *Vera prædicatio aut est regularis, aut figurata, aut inusitata.* Quæ magis logicè distingui possunt ita. Prædicatio vel propositio est usitata vel inusitata.

Distinctio prædicationum vel propositionum.

usitata est, quæ in dispositione argumentorum consentit cum usitatis logicæ artis regulis, consentanea enuncians affirmando, dissentanea negando.

Enunciatio autem cùm fiat sermone externo, verba sermonis singula in axiomate erunt vel propria, secundum Grammaticam: vel Tropica, secundum Rhetoricam.

Inusitata est, qua argumenta contra usitatum logicæ judicium disponuntur, dissentanea videlicet affirmando.

In hac voces singulæ sunt propriæ: aliàs si per tropum ad modum usitatum reduci possent, non singulare genus constituerent, sed sub priore continerentur. Sed

Sed usus & observatio Theologica docuit, in ejusmodi enunciatis non esse tropum: ideo sic contra Piscatorem concludamus:

Si in ejusmodi disparatorum affirmata dispositione vox nulla tropo infecta monstrari potest: certè est aliquod prædicationis genus, in quo unum dicitur esse alterum propriè loquendo. Neq; tamen idem de se ipso, nec definitio de definito, nec genus de specie prædicatur.

Sed prius est verum: ut patet ex disputatione lib. 1. de proprietate verborum cœnæ, & ex capite 7. hujus lib. 2.

Ergo verum quoq; posterius:

Et per consequens.

Propositio syllogismi Piscatoriani est falsa.

CAPUT IX.

De Propositione, Deus est homo, AN PER TROPUM REDUCI POSSIT *ad prædicationem propriam & usitatam.*

EXempla, quibus inusitatæ prædicationis doctrina illustrari solet, Piscator per tropum ad usitatum reducere conatur modum. Exempla maximè illustria duo sunt: *Deus est homo.* Et, *Filius Dei, est filius Mariæ.*

Primum

Primum exemplum ita ad usitatum reducit modum: *In voce* DEUS *duplex est tropus: primò Synecdoche generis pro specie, quippe cùm ex vocabulo generali ac tribus personis communi, intelligatur ex illis persona tantùm una, videlicet secunda, quæ est, & nominatur propriè Filius* DEI. *Secundò est Synecdoche membri, qua persona Christi denominatur à natura sua divina, & simul intelligitur eam constare quoq; ex natura humana. Sensus enim illius enunciati est; Hæc persona, quæ & Deus & homo est, quatenus homo est, seu secundum assumptam naturam humanam* (ut ipse se interpretatur, pag. 28) *est homo: Et sic usitato modo prædicatur species de individuo, videlicet homo de homine individuo.*

Ad Hoff. pag. 23. & 24.

Hæc tortuosa Piscatoris expositio primò destruit sanum & genuinum hujus propositionis sensum, à Catholica Ecclesia usurpatum: Deinde multiplices complectitur & crassos errores.

Tortuosa est, quia miserè torquetur triplici tropo

Principio enim notũ est, Axiomatis cujuslibet finem esse, ut *rei alicujus esse vel non esse judicet.* Ita & hoc axiomate, *Deus est homo,* Ecclesia voluit non tantùm docere, *Filium Mariæ ut hominem, verum esse hominem, & in hominum genere numerandum* (quæ Piscatoris est sententia) cùm illud satis constet argumentis aliis: Sed principaliter hac enuncia-

Ram. lib. 2. cap. 2. Sensus prædicationis inusitatæ, Deus est Homo.

tione *duarum naturarum personalem unionem* voluit indicare: nempe *Filium Dei ab æterno genitum, esse etiam verum & naturalem hominem.* Nam si axiomatis antecedente intelligi voluissent humanam *Christi naturam*, quid opus fuisset assumere vocabulum *Deus*, quod hominem non significat? commodiùs multò eloqui sic potuissent: *Filius Mariæ est verus homo.* Quæ etiam necessitas coëgisset hoc axioma ita explicare: Deus, *h.e. humana natura* est homo? Si enim vera est Christi humana natura, intelligitur per se, illum etiam verum esse hominem.

At in antecedente hujus axiomatis ex voce Deus per triplicem Synecdochen intelligit humanam Christi naturam.

Tales igitur ineptiæ, Ecclesiæ ne per somnium quidem inciderunt: Sed exprimere illa voluit, & hoc dicere: *Unicam illam personam, quæ Christus dicitur, esse verum Deum, & verum etiam hominem.*

Sic enim Bonaventura lib. 3. Sent. Distin. 7.

Cùm dicitur, DEus est Homo, *Homo prædicatur de Deo, quia unitur ei in unitatem personæ.* Quod testimonium quamvis superbè rejicit Piscator, pag. 35. tamen conscientiæ stimulo adactus pag. 36. scribit: *Si vocabulum Dei accipiatur de solo filio Dei, sententia Bonaventuræ vera est, ideo sc. hominem prædicari de Deo, quia unitur ei in unitatem personæ.*

Ga-

Gabriel Biel, lib. 3. Dist, 7. Artic. 3.

Quæritur qualis sit prædicatio, *Deus est Homo*. Pro responsione notandum, quòd apud Philosophum *Deus & Homo*, sunt termini disparati, qui diceret illam esse impossibilem, *Deus est Homo*, sicuti illam, *Homo est asinus*. Sed licet in hoc erraverunt, quòd dicebant hanc esse impossibilem, *Deus est homo*: tamen accipiendo terminos disparatos, pro terminis, qui naturaliter sive secundum sententiam naturæ non possunt de se invicem verificari. Et sic apud Catholicos etiam *Deus & homo*, sunt termini disparati, & ita prædicatio illa erit disparata, *Deus est homo*.

DEUS enim connotat subsistentiam in natura divina: Et *homo* connotat subsistentiam in natura humana.

Lutherus Tomo 3. Germ. Ien. pag. 457.

Conjungimus duas naturas in una persona, & dicimus: Deus est Homo, & homo est Deus. Audis igitur, hac enunciatione personalem duarum naturarum unionem notari. Et paulò pòst condemnat Sophisticam,

qua Piſcator etiam utitur, hujus enunciati expoſitionẽ ita: *Cùm dicitur*, Deus eſt Homo, *aut* Homo eſt Deus, *nulla hîc Alleoſis, nulla Synecdoche, nullus omnino tropus locum habet, ſed neceſſe eſt vocem* DEUS *de Deo: vocem* Homo *de homine accipi & intelligi*. Quid manifeſtius, quid verius ab homine Theologo dici potuiſſet?

Philippus lib 1. & 4. Dialectices inquit: *unum admirandum exemplum eſt copulationis duarum naturarum in Chriſto. Cùm dico: Filius Dei eſt viva imago æterni Patris, & eſt homo natus ex virgine*. Hîc diſertè exponit illud axioma, *Deus eſt homo*, quod in primo libro adduxerat, ejusq́; ſenſum dicit eſſe hunc, quòd doceat duas naturas in una perſona eſſe copulatas.

Huic communi Eccleſiæ judicio opponit ſe Piſcator, & ſua tropica violentia perſonalis unionis ſignificationem ex illa propoſitione tollit, nihilq́; relinquit niſi purum hominem: voces enim rerum notæ ſunt; Et vox *Deus* divinam propriè notat naturam. Hac voce per tropum ſublata, & ſubſtituta voce, *Homo*, ipſa divinitas ſublata eſt, & habes ita *Hominem* in ſubjecto, *Hominem* in prædicato. Hæc pulchra illa Piſcatoris Theologia eſt.

In hoc ſc. axiomate.

Sed videamus porrò, quàm ſcitè contra veram

veram rationem & ſolida fundamenta diſputet Piſcator.

Prædicatio, inquit, *illa omnino regularis eſt & uſitata: quia ſpecies prædicatur de individuo.*

At quia Homo non eſt ſpecies Dei, tropica & quidem violenta expoſitione ſenſum regularis prædicationis ita oſtendere conatur. *Vox* DEUS, *inquit, per Synecdochen generis primò ponitur pro ſecunda divinitatis perſona: Deinde per Synecdochen membri, divina natura ponitur pro tota perſona, quæ eſt Deus & homo. Et rurſus* (ut poſtea ſententiam corrigit) *per Synecdochen integri, tota perſona ponitur pro aſſumpta vel humana natura.*

Duplex hîc & ſatis craſſus quidem error eſt, Rhetoricus & Dialecticus. Rhetoricus error eſt in tropo.

Error Rhetoricus.

Nam vox *Deus* per Synecdochen generis minimè explicari poteſt, niſi ſtatuere velis ſingulas perſonas eſſe ſpecies DEI, & ita non unum, ſed tres Deos. Eccleſiam autem intelligere hac voce ſecundam Divinitatis perſonam, manifeſtum & extra controverſiam eſt: utitur autem vocabulo DEUS, quia docere vult, verum & æternum Deum, qui unicus eſt, & ſecundũ unitatẽ eſſentiæ ſemper conſideratur reſpectu creaturarum, aſſumſiſſe carnem noſtram, ita ut in ea habitet

In vocabulo Deus non eſt tropus.

tota plenitudo divinitatis, ut ait Paulus ad Colossen. 2.

Deinde in membri Synecdoche hoc vitiosum est, quòd concretivæ voci attribuit vim abstractivæ, cùm illa sit totius personæ vox, hæc verò unius naturę. Non itaq; commodè dicitur: *Filius Dei est membrum totius personæ constantis divina & humana natura.* Sed longè gravius hoc Sophisma est, quod in voce *Deus* sic explicata, *Hæc persona, quæ & Deus & homo est*, Synecdochen positam, ostendere ait prædicationem speciei de individuo, ut rectè & propriè de Deo & homine dicatur homo. Siccíne duo erunt homines & unus Deus? Et qua ratione *Homo & Deus* individuum, *& Homo* species dicetur?

Hanc videns absurditatem per Synecdochen integri, rursus nomen totius personæ restringit ad alteram naturam, inquiens: *Filius Dei, intellige quatenus idem est homo, seu secundum assumptam naturam est homo.* At quomodo duo contrarii tropi in una & eadem voce constituentur, videlicet Synecdoche membri & integri simul, quorum hoc denuo tollatur id, quod illo erat affirmatum.

Et num statim Synecdoche est, cùm de toto aliquid dicitur secundum partem,

ut

ut, *Homo loquitur: Salomon est sapiens.* Quæ tum enunciata erunt tropica?

Porrò si Piscatoris tropo locus datur in antecedente, in consequente etiam feretur, unde Piscatoriano modo totum axioma exponetur ita:

Deus, *id est, persona quæ est*	*Deus* & *Homo.*	est Homo, *id est, persona quæ est*	Homo & Deus.

Pulchra mehercle tautologia. Quod si totum restringere licet ad alteram naturam, ut fecit Piscator, sic fiet axioma: *Deus, id est Homo, vel natura humana est homo, id est, Deus vel divina natura.* Vides quàm inanis in tropo sit Sophistica.

Dialecticus error est in judicio prædicationis: non enim hîc species de individuo prædicatur, sed disparatum de disparato, quod testimonio & Piscatoris & Euangelistæ Iohannis patefaciam.

Error Dialecticus in argumento Piscatoris.

Piscator sibiipsi contradicens veritatem confitetur ita pag. 35. *Sensus illius enunciati est: Persona secunda Deitatis, quæ est verus ille Deus, unà cum Patre & Spiritu sancto, est etiam homo.*

Hic ſenſus ita redditus minimè complectitur prædicationem ſpeciei de individuo. Homo enim non eſt ſecundæ perſonæ Deitatis ſpecies. Id quod etiam enunciati forma ſatis apertè docet. Axioma enim copulatum eſt, quo res duæ copulantur, Divina ſc. & humana natura.

Et particula *etiam* genus cum ſpecie, vel ſpeciem cum individuo nunquam connectit (Ridiculum enim eſſet dicere: Petrus eſt etiam homo) ſed oſtendit diverſarum & diſtinctarum rerum copulationem.

Iohannes Euangeliſta cap. 1. ſatis evidenter refutat Piſcatorem, cùm ſcribit: καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Verbum eſt factum caro: Hinc illa propoſitio ſumpta eſt: Deus eſt homo. At obſerva ſingulorum verborum pondera. λόγος directè notat ſecundam perſonam divinitatis nondum incarnatam: humanam naturam poſtea in conſequente notat vacabulo carnis. Senſus itaq; eſt: λόγος (ſecunda ſcili. perſona divinitatis, quæ eſt verus Deus) in tempore factus eſt homo. Hîc impoſsibile eſt λόγον accipi pro tota perſona, quæ eſt Deus & homo. Itaq; non ſpecies de individuo, ſed diſparatum de diſparato prædicatur. Denique Apoſtolus Paulus rem ita explicat ad Rom. 1. Filius hominis eſt ſecundum carnem: Filius Dei ſecundum Spiritum.

CAPUT

CAPUT X.

De Propositione, Filius Mariæ est filius Dei unigenitus, an sit identica.

ALterum exemplum est inusitatæ prædicationis hoc: *Iesus Mariæ virginis filius, est filius Dei unigenitus.* Item: *Hic est filius meus ille dilectus.* In hoc exemplo asserit, *Idem, dici de se ipso & quidem propriè loquendo, individuum de individuo aliter tantùm nominato. An non (inquit) unus & idem est, qui demonstratur per pronomen* Hic, *& qui nominatur filius ille Dei dilectus: vel: an non unus & idem est, qui appellatur & Mariæ virginis filius, & Filius Dei unigenitus.*

Pag. 26

Identica propositio.

Pag. 31. & 32.

Concludatur syllogismo Piscatoris hæc ratiocinatio:

Si est unus & idem, qui dicitur Mariæ virginis filius, & qui appellatur filius Dei unigenitus: tum in axiomate, in quo ista duo conjunguntur, idem de se ipso prædicatur, individuum de individuo.

Sed antecedens est.

Ergo & consequens.

Resp. Connexio propositionis non est absolutè vera. unum enim & idem esse dupliciter accipitur:

I. Cùm uni & eidem rei duæ distinctæ notiones attribuuntur, distinctis argumento-

Vnum & idem quomodo intelligendum.

rum logicorum terminis explicatæ, ut cùm dico: *Deus est creator cæli & terræ. Homo est animal rationale.* Hic unus & idem est, qui dicitur *Deus*, & qui *vocatur creator cæli & terræ.* Homo est illa ipsa creatura, quæ dicitur animal rationale. Sic sæpe unum & idem est, eadem res, eadem persona, de qua & antecedens & consequens intelligitur. Verùm non tamen idem de se ipso aliter tantùm nominato prædicari dicitur logicè quidem & propriè. Prædicare enim est in propositione prædicatum subjecto attribuere. At subjectum, inquit Philippus, *est prior nominativus, de quo* ALIUD *dicitur.* Prædicatum igitur aliud est à subjecto. Ex P. Ramo pleniùs hæc intelligentur. *Axioma est argumenti cum argumento dispositio.* Argumenta autem mentis sunt notiones ad arguendū affectæ, quæ sic inter se distinctæ sunt, ut idem argumentum de eodem prædicari nunquam dicatur. Sic in datis exemplis licet eadem res intelligatur, non tamen idem argumentum de se ipso prædicatur. In primo exemplo effectum cum caussa disponitur, neq; illa duo sunt idem: Aliud enim est *esse Deum*, aliud *esse creatorem cæli & terræ*: Illud enim essentiam, hoc operationem notat. Nihilominus tamen idem est, qui dicitur Deus, & qui vocatur cæli creator. Atque talis identitas rerum

Idem de se ipso non potest prædicari.

Et sic eadem res de se ipsa non prædicatur, nam argumenta sunt rerum notæ. ut ergo argumenta sunt distincta, sic res etiam.

Deus fuit ab æterno Deus, at idem Deus non fuit ab æterno cæli

rum eſt in conſentaneis, ait P. Ramus lib. 1. cap. 11.

II. unum & idem dicitur, quod eadem notione mentis & ſignificatione idem eſt, à diverſis quidem vocabulis, ſed idem ſignificantibus propoſitum, ut *Enſis eſt gladius*. Hîc eadem res eſt: eadem mentis notio, diverſa quidem vocabula, ſed eadem ſignificatio. In hoc quidem & ſimilibus idem de ſe ipſo prædicatur. Sed axioma tale illegitimum eſt, contra regulas artis factum.

creator. Deum igitur eſſe et creatorem eſſe non ſunt unum & idem.

Si igitur identitas primi modi eſt in hoc exemplo, *Filius Mariæ, eſt filius Dei*, non tamen rectè dicetur idem de ſe ipſo prædicari. una & eadem quidem perſona eſt, quæ dicitur *Filius Mariæ*, & nominatur filius Dei. Sed *Filium Mariæ eſſe, & filium Dei eſſe*, in uno & eodem axiomate diverſæ ſunt notiones, neq; prorſus idem ſignificant. Idq; plenius demonſtro duabus rationibus:

1. Ex natura communi Axiomatis.

Omne axioma, quo eſſe aliquid, aut non eſſe judicatur, conſtat duobus diſtinctis argumentis, mutuo ſeſe arguentibus.

Quippe axioma eſt diſpoſitio argumenti cum argumento, ait P. Ramus lib. 2. cap 2. *At hæc verba: Filius Mariæ eſt filius* DEI *unigenitus, axioma conſtituunt, quo eſſe perſonæ Chriſti judicatur.*

Ergo

Ergo duo distincta sunt in his verbis argumenta ad mutuo sese arguendum affecta.

Quæris verò, quænam sint hæc argumenta? Duo sunt disparata. Petis & hujus rei demonstrationem? En accipe:

Voces, quæ significant res distinctas ratione & re dissentientes, opposita complectuntur.

At hæ voces, Filius Mariæ, & Filius Dei, *notant res distinctas, & re & ratione dissentientes*: Filius Mariæ, *est secundum carnem*. Filius Dei, *est secundum spiritum*, Interprete Apostolo, Rom. 1.

Ergo hæ voces, opposita complectuntur, quorum unum cùm multis pariter opponatur, disparata sunt.

Duo autem disparata nunquam sunt idem & unum: unum itaque & idem de se ipso hîc non prædicatur.

2. Ex natura individuorum argumentor ita:

Individuum de individuo cùm dicitur, tum vel duo diversa & distincta individua sunt intelligenda, vel unum & idem individuum diverso nomine repetitum.

Sed neutrum horum est verum.

Ergo individuum de individuo non dicitur.

Vnum & idem individuum hîc non intelligitur.

Assumptionem probo ita: Si unum idémque individuum intelligitur, inanis est tautologia, nec verum axioma, quippe in quo non

non duo distincta disponuntur argumenta, sed unum idémque argumentum est in subjecto & prædicato, ut *Gladius est ensis : Cicero est Cicero*. Sic si in hoc axiomate prorsus idem de se ipso aliter saltem nominato prædicatur, necesse est, ut sub diversis vocabulis prorsus idem significetur & intelligatur. *Si filius Mariæ* significat personam, quæ est Deus & homo, etiam *Filius Dei* significat personam, quæ est Deus & homo. Res itaque significata & intellecta enunciabitur ita: *Persona, quæ est homo & Deus, est persona, quæ est Deus & homo*. An non nugatoriam hanc expositionem dixeris? Non itaque prorsus idem individuum de seipso prædicatur. Relinquitur ergo, duo diversa & distincta de se invicem prædicari individua, quod multò minùs est affirmandũ : sic enim duæ personæ, duo Christi essent : Atqui una individua est persona, unus Christus. Non itaq; duo sunt individua, Mariæ filius, & filius Dei : & sic individuum de individuo non prædicatur: Sed unum individuum, una eadémque persona declaratur duabus suis naturis : & sic duæ species disparatæ, inter se quidem distinctæ, sed in Christi persona mirabiliter unitæ hoc axiomate disponuntur.

Caput

CAPUT XI.

De Opinione illorum, qui quidem non prorsus tollunt inusitatum prædicandi modum, sed eum restringunt ad propositiones de Filio DEI.

Inusitatæ prædicationes restringuntur ad propositiones de filio DEI.

PIscator hactenus acriter se inusitatis prædicationibus opposuit: alii mitiores easdem modò concedunt, modò tollunt.

Ubbius Emmon Frisius contra Hoffmannum, pag. 47 scribit: *Disparatum de disparato non potest verè, nisi modo figurato prædicari: excipiuntur à Melanchthone solæ prædicationes de filio Dei, quas inusitatas ipse, singulares Scholastici vocant.*

Alii ad defensionem hujus rei verba Philippi citant hæc: *Tertius modus est inusitatus, videlicet in propositionibus de filio Dei, quarum non sunt alia exempla in tota rerum universitate. Item, lib. 4. unum individuum non potest esse conflatum ex diversis speciebus: sed unum admirandum exemplum dissimile toti reliquo ordini proposuit Deus, videlicet, copulationem divinæ naturæ & humanæ in filio Domino nostro Iesu Christo: Filius Dei est homo natus ex Maria virgine. Hic disparatum de disparato prædicatur.*

Respondeo I. Infirma est consequentia hæc: *Philippus ad doctrinam inusitatarum prædicationum tantùm apposuit exempla de filio Dei*

incar-

incarnato : Ergo non sunt exempla plura. Strigelius, Philippi discipulus, & interpres in annotationibus Dialecticis inquit : *Inusitata prædicatione nobis opus est propter articulũ de filio Dei, & PROPTER SACRAMENTA,* ut, *Hoc est corpus meum, h e. cum pane verè conjuncta est substantia corporis Christi.*

II. Mens Philippi non est, quòd tantùm propositiones de filio Dei ad prædicationes inusitatas pertineant, cùm inquit : *Non sunt exempla alia in tota rerum universitate.* Sed dissimilitudinem saltem in certa re indicat, quòd scili. ejusmodi *personalis unionis exemplum* in tota rerum universitate non extet. Adhæc ipse distinguit prædicationes Synecdochicas à figuratis, cùm inquit: *Aliæ sunt Synecdochæ,* h e. longè aliam & diversam habent rationem à tropicis Synecdochicæ hæ locutiones, quibus nempe duæ res oppositæ comprehensæ de uno eodemq; subjecto dicuntur, & sub una visibili altera invisibilis præsens adest, ut *Flammæ in ore Apostolorum erant Spiritus sanctus.* h.e. cum illa re visibili verè aderat Spiritus sanctus. Complexus hîc rerum duarũ disparatarum docetur, idq; inusitatum est in logica: nec ad ullum usitatum modum hæc enunciatio reduci potest. Omnis enim reductio fit ostenso aliquo tropo.

Synecdochæ Philippi non sunt tropicæ.

At

At in illa explicatione Philippi, nullus tropus monstratur, quippe retinentur voces principales subjecti & prædicati, quarum altera saltem si tropica esset, alia voce explicanda fuisset. Philippus itaq; in aliis caussis inusitatas prædicationes non repudiavit.

CAPUT XII.

De Sophistica contrariorum.

Contraria

CONTRARIA sunt, inquit P. Ramus, *quorum unum uni tantùm opponitur.* Talia sunt Relata adversa, contradicentia, privantia.

Ex his locis oritur fucus specialiter, cùm pro contrariis venduntur, quæ verè contraria non sunt.

Relatorum fallacia.

Sic fallit locus relatorum, ut:

Pater priùs existit filio,

At prima persona Deitatis est pater.

Ergo illa persona priùs existit filio suo, secunda divinitatis persona: & per consequens, filius non est coæternus & coæqualis patri.

Relata simul sunt natura et tempore

R. In propositione est fallacia relatorum: Relata enim *simul existunt natura*, nec alterum altero vel minimo tempore prius est. Pater nunquam prior est Filio, quia & ipse pater existit è *mutua affectione filii*: nec pater est, nisi quando habet filium. Si igitur

prima

prima persona Deitatis fuit pater ab æterno, ut testatur scriptura, nec potest cogitari tempus, quo fuerit non pater, cùm omnis mutationis sit expers: Sequitur & Filium esse ab æterno.

Sic adversorum locus parit Sophisma, ut;

Crux piorum adjunctum.

Pii nunquam gravi calamitate premuntur.
Iob gravissima calamitate pressus est.
Ergo Iob non est pius.

Resp. Elenchus adversorum est in propositione. *Pietas* enim & *calamitas* è regione sibi perpetuò non adversantur, ut *uni eidemq́ subjecto attribui non possint*: Sed leviter saltem ut diversa aliquando distinguuntur. Nam pii in hac vita providentia Dei, sub cruce tenentur, ut pietatem suam ita magis exerceant, ipsaq́; calamitatibus, veluti salis condimento à putrefactione & corruptione defendatur.

Adversorum fallacia.

Contradicentium locus ita interdum decipit, ut:

Contradicentium utrumq́ non potest esse verum
Sed cùm Christus inquit, Iohan. 14. Pacem meam do vobis. Et Matth. 10. Non veni mittere pacem, sunt contradicentia.
Ergo utrumq́ non potest esse verum.

Resp. Fallacia contradicentium est in assumptione. Verè enim contradicentia non

ſunt in verbis Chriſti, quia *alterum non negat idem, quod antea erat affirmatum.*

Prius dictum agit de pace ſpirituali conſcientiæ, quam Dominus vocat pacē ſuam. Alterum loquitur de pace mundana, quæ turbabitur doctrina Euangelii propter mundi malitiam, qui tantam lucem ferre non poteſt.

Privantium fallacia.

Sic ex loco privantium deceptio oritur, vt:

Omnis privatio præſupponit habitum.

At cùm piſcis mutus dicitur, privatio indicatur.

Ergo in piſce muto præſupponitur habitus loquendi, h. e. piſcis aliquando loqui potuit.

Reſp. Eſt Elenchus privantium in aſſumptione: privantia *tantùm negant in eo ſubjecto, in quo affirmatum ſuapte natura ineſt.* In piſce non ineſt naturaliter habitus loquendi: Ergo rectè eidem privatio non tribuitur, nec propriè mutus dicitur.

CAPUT XIII.

De Fallacia Comparatorum.

Comparatorum Elenchus.

COmparatorum locus fallit, cùm quantitates aut qualitates rerum ſophiſticè inter ſe comparantur. Sic quædam ut paria proponuntur, quæ revera paria non ſunt:

ſunt: quomodo Iſmaël argumẽtabatur contra Iſaacum.

Ego tam ſum Abrahæ filius quàm tu.
Tam igitur ero hæreditatis Dominus quàm tu.

Reſp. Eſt Elenchus parium, paria adjuncta tribuuntur ſubjectis ſophiſticè pro paribus aſſumptis. Iſmaël enim non habebat idem jus quod Iſaac: ille enim ex ancilla, hic natus erat ex libera. Ancilla itaq; cum filio ſervo ejecta eſt, ſed filius liberæ manſit hæres paternorum bonorum.

Sic Piſcator contra Hoffmannum argumentatur, pa. 70. & 179.

Si Metonymia eſt, cùm res ſignata nominatur, & ſignum intelligitur: etiam Metonymia erit, cùm res ſignata de ſigno enunciatur: quia par utriusq; ratio.
Sed primum eſt,
Ergo ſecundum.

R. Manifeſtus error parium eſt in propoſitione. Non enim par ratio eſt tropi in illis enunciatis, in quibus *res ſignata ponitur pro ſigno, & in quibus res ſignata prædicatur de ſigno.* In illis verè eſt Metonymia ſubjecti: in his verò nulla eſt tropi ratio: quippe tropus eſt, nõ cùm vox de voce prędicatur, ſed cùm vox pro voce ponitur, vt ſuprà docuimus.

Metonymia non eſt, cùm res ſignata de ſigno dicitur.

Sic ex contrariis orta paria ſæpe fallunt:

Mala opera damnant. L 2 *Erg*

Ergo bona opera justificant.

R. Argumentatio extructa videtur ex illo principio: Contraria sunt contrariorum consequentia, h. e. quæ sequuntur unum contrarium, illa ipsa sunt adversa illis, quæ alterum consequuntur.

Bona opera non justificant

Sed hîc non verè paria proponuntur 1. Mala opera perfectè mala sunt, pugnantia cum tota lege, unde damnatio semper sequitur, ut & Iacobus ait: *Qui peccat in uno, reus est omnium.* At bona opera non sunt perfecta, h. e. nunquam satisfaciunt legi Dei, imò vix bona appellari possunt, cùm semper mala opera sibi habeant conjuncta, nemoq; sit qui totam legem implere posſit, unde alterum contrarium, justificatio, sequi non potest. 2. Mala opera eam vim habent, teste scriptura, ut etiam omnem antecedentium operum bonorum memoriam extinguere posſint. Ezech. 16. At bona opera, quamvis sint præstantisſima, non tamen tantam habent vim, ut posſint nobis promereri justitiam, & vitam æternam: quin etiam cùm omnia fecimus, servi tamen inutiles sumus, Luc, 17.

Imparium Sophistica.

Sic imparia sæpe ex Sophistico majorũ & minorum argumento errorem obtrudunt, ut Rex Sannacherib argumentabatur ita:

Vici ego Ammonitas, Moabitas, te tuoq; Deo potentiores. *Ergo*

Ergo & te Ierusalem destruam, & altaria Dei tui facilè diruam.

Resp. Est fallacia majorum. Nam quod ille in antecedente statuit majus, id revera minus est. Israeliticus enim populus erat tutior sub Dei protectione, quàm vel amplissimæ gentes sub præsidio fictorum Deorum.

Sic ratiocinabatur filius natu major, Lucæ 15.

Ecce prodigo filio fecisti cœnam magnam.

Ergo mihi multò magis cœnam facere debuisti.

Resp. Comparat secum prodigum filium tanquam minorem, qui cœna tanta non sit dignus.

At pater solvit hanc fallaciam, ostendens, prodigo reperto magis deberi cœnam, quàm servienti filio: Quippe quòd hic semper patris bonis sit usus, iisque ad satietatem frui potuerit: Ille verò sit ferè mortuus præ fame, & præter spem nunc repertus, super quo majus sit natum gaudium: ideoq; honestius esse, ut semel reficiatur tot annis paupertate pressus, & qui reversus tanto gaudio solicitum parentem perfuderit & recrearit.

Similium Elenchus.

Similium locus magis rerum illustrationi & explicationi, quàm syllogisticæ conclusioni servit.

Nonnunquam tamen ex similibus caussis

Similium locus, qui demonstrationes suppeditat.

& subjectis similia effecta & adjuncta colliguntur. Sed & hîc sub specie veri non rarò falsum obtruditur, ut:

Abraham rectè fecit volens immolare filium suum.

Ergo & Iephta rectè fecit mactans Iehovæ filiam suam.

Simile hîc adjunctum, approbatio nempe & justificatio concluditur de subjecto non prorsus simili, facto scilicet Iephtæ. Abrahami factum caussam habuit mandatum Dei: Iephta temeritatem voti sui & præceps consilium est secutus. Laudatur Abraham propter obedientiam Deo præstitam: quæ laus Iephtæ attribui non potest.

ALIUD.

David commisit adulterium.

David fuit pius,

Ergo piis licet committere adulterium.

Respondetur vulgo, non exemplis, sed legibus judicandum esse. Nos addimus, 1. Plus esse in conclusione, quàm fuit in præmissis. Complexio hæc tantùm ex antecedente deducitur: *Ergo quidam pii committunt adulterium.* 2. effecta similia de caussis dissimilibus enunciari: Nam cùm adulterium committit David, non amplius similis est piis, sed maximè dissimilis.

ALIUD.

ALIUD.

Totum connexum potest esse verum, cujus tamen singulæ partes sunt falsæ, ut, Si asinus volat, habet pennas, *verum est totum, etsi partes singulæ,* ut asinum volare, & asinum pennas habere, *sint falsæ.*

Ergo & totum axioma potest esse tropicum, cujus singulæ partes sunt propriæ.

R. Elenchus est similium. Ex effectis enim quasi similibus, caussæ similes falsò concluduntur. Totum axioma effectum est, partes sunt caussæ. At totius connexi veritas non est similis locutioni tropicæ, quæ est in enunciato.

Nam veritas connexi pendet ex necessaria partium connexione, copulatione videlicet caussæ cum effecto, subjecti cum adjuncto. Sic necessaria veritas est, *Si asinus volat, habet pennas* : quia dato effectu, concedenda est caussa. *Volare* ideo & *pennas habere* necessariò cohærent, & hæc sunt principalia argumenta, quæ hîc disponuntur. Totum itaq; axioma, h.e. ipsa partium connexio vera est. At tropi ratio est longè alia : is enim non est in vocibus conjunctis (*ut veritas axiomatis*) sed in singulis, cùm vox pro voce ponitur. Quantum igitur est inter simplex &

Totum axioma non est tropicum, si singulæ partes sint propriæ.

conjunctum, tantum est inter tropum & veritatem axiomatis discrimen & dissimilitudo. Rectè itaq: negando concluditur: Si in axiomate nullæ voces sunt tropicæ, etiam totum non erit tropicum.

ALIVD.

Quemadmodum fiebat temporibus Nohæ: ita fiet extremo tempore.

Ergo extremo hoc tempore peribit mundus diluvio.

Resp. est fallacia similium: quia similitudo hîc non spectatur in iis partibus, in quibus fit collatio.

Christus enim ultimum tempus primo illi simile futurum dicit, in hominum libidine & intemperantia, deinde in universali interitu & abolitione. Nec verò necesse est ex rerum illarum, in quibus aliqua est similitudo, omnibus partibus similitudinem deducere. Sic Piscator in quæstionibus suis, pag 23. argumentatur:

Dissimilium Elenchus.

Spiritus sancti & carnis Christi est dissimilis ratio, ille infinitus est, hæc finita.

Ergo non sequitur, si Spiritus in columba fuit præsens, etiam corpus Christi in cœna esse præsens.

Resp. Dissimilitudo non rectè accommodatur: Similium comparatio vera sic institui-

ſtituitur à Theologis: *Quemadmodum columba dicitur Spiritus Sanctus, quia realiter ſub illa viſibili ſpecie adeſt: ita panis dicitur corpus Chriſti, quia, in, cum, vel ſub pane realiter præſens adeſt Corpus Chriſti.*

Præſentia corporis Chriſti in cœna docetur ſimili.

Hîc in ipſa enunciatione diſsimilitudo monſtranda fuiſſet Piſcatori, ſi quæ eſſet. Quæſtio enim eſt, an hoc enunciato, *Panis S. cœnæ eſt corpus Chriſti*, præſentia corporis Chriſti doceatur, ut ſenſus ſit hic: *Cum pane præſens eſt corpus Chriſti.* Id verò affirmatur adducto exemplo ſimili, *columba eſt Spiritus*, hoc eſt, cum illa re viſibili præſens adeſt Spiritus ſanctus. utriusque enunciati ſimilis eſt ratio. ut igitur hanc explico, ita illa rectè explicatur. Nec quæſtio eſt de cauſſa aut modo præſentiæ, quæ DEO ſunt relinquenda: Sed ſenſus inuſitati axiomatis exemplo ſaltem ſimili illuſtratur. Diſsimilitudo itaq; inter finitum & infinitum ad rem nihil facit.

CAPUT XIIII.

De Elencho conjugatorum.

VT argumenta à primis orta primorum in arguendo naturam referunt: ita Sophiſmata ortorum, eandem affectionem ſequuntur, faciléque primorum doctrina cum ortis conjuncta, dilui poſſunt.

Ex conjugatis Sophiſma oritur, cùm nominũ deductio & derivatio ſymbolum verè conſentaneorum non complectitur, ut:

Audivit Arithmeticam,

Ergo eſt bonus Arithmeticus.

R. Conjugatorum deductio hîc fallit. Nam *Arithmeticus* effectum eſt, & ſignificat habitum in mente hominis crebris actionibus comparatum. *Arithmetica* hujus habitus cauſſa quidem eſt, ſed non ſolitaria, quia & natura & exercitatio præterea requiritur.

Habitus cauſſæ tres.

ALIUD.

Nullum amarum eſt dulce.

Ergo amare nunquam eſt dulce.

R. Elenchus eſt conjugatorum: *Amarum* enim & *Amare*, non ſunt nomina ab eodem principio, ſed variè deducta. *Amarum* non deducitur ab amo, nec habent hæ voces cognatam ſignificationem, ſed valdè diverſam.

ALIUD.

Peccatum eſt à Diabolo.

Ergo homo peccator eſt à Diabolo.

R. Conjugata ſunt *peccatum & peccator*, orta ex adjuncto & ſubjecto. At non neceſſe eſt, quod de uno adjuncto videlicet, dicitur, id etiam de ſubjecto dici: quippe ſubiectum

ſubiectum eſt res ſuis jam cauſſis conſtituta, ad quam præter eſſentiam adjuncta accedunt. Etſi igitur Diabolus adjuncti, *peccati* nempe, ſtatuatur cauſſa: non tamen propterea eſt cauſſa ſubjecti,hoc eſt, ſubſtantiæ vel naturæ humanæ.

Sic conjugata perinde hîc ad arguendum affecta ſunt, ſicuti prima conſentanea unde oriuntur.

CAPUT XV.

De Sophiſmate Notationis.

NOtatio falſa nominis interpretatione, & ſophiſtica interpretationis ad res accommodatione decipit, ut Gene. 27.

Notationis Elenchus.

Supplantavit me jam altera vice, hoc eſt, bis dolosè me decepit & defraudavit.

Ergo rectè vocatum eſt nomen ejus Iacob, hoc eſt, ſupplantator vel deceptor.

R.Eſt fallacia Notationis ex effecto alieno.Iacob enim nomen ſuum accepit non à ſupplantando,hoc eſt,decipiendo, ſed quia in partu tenebat plantam fratris Eſau, ideo eſt appellatus Iacob, Gene. 25.

ALIVD

Petra ſignificat metaphoricè rem immobilem, ſtabilem, munimentum inſigne ad-

verſus

adversus hostes, quomodo Deus petra nostra, h. e. certum præsidium piorum in sacris dicitur.

At Petrus Apostolus Matth. 16. *à Christo vocatur Petra.*

Ergo Petrus est illud immobile fundamentum Ecclesiæ, cujus & successorum, pontificum nempe Romanorum, vi atq; munitione Ecclesia stabilitur & defenditur.

Petrus non est petra, h. e. fundamentum Ecclesiæ.

Resp. Est Elenchus Notationis. Nomen *Petræ* in assumptione falsò attribuitur *Petro*, ideóque nominis interpretatio verè convenire non potest. Christus enim Petrum non vocat PETRAM, sed petram à Petro accuratè distinguit, ut membrum Ecclesiæ ab ipso fundamento, cùm inquit: *Ego tibi dico: Tu es* PETRUS, discipulus scilicet meus, & membrum Ecclesiæ: *Et super hanc* PETRAM, quam scil. tu confessus es, nempe super *hunc hominis filium*, quem tu vocasti filium Dei viventis, ædificabo Ecclesiam meam, vt rectè Beda interpretatur. Quod si maximè vrgeant pontificii, Dominum Syriacè locutum esse, & petrum vocasse Cepham, quæ vox rupem seu petram significat: tamen nondum sequitur, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ. Hæ enim voces, ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, hanc petram, non possunt notare ipsum Petrum, ad quem loquebatur in secunda persona: tertia verò hac lo-

loquitur de alia petra, nempe quam cōfessus fuerat. Illa autem petra erat Christus. Quod si de Petro dixisset, orationem continuasset ita: *Tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam.* At, cùm inquit, *super hanc petram*, pronomen, Hanc, ad Petrum minimè pertinet, cum quo in secunda persona loquebatur. Paulus 1. Cor. 3. rem explicat ita: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.*

Similiter fallit notatio, ubi ex illius angustia negas ipsam nominis significationem usu probatam. Sic Piscator ludit hoc argumento in Respons. ad Busch. pag. 164.

Notatio omnium nominum, quibus Deus nominatur, excepto nomine hebraico IEHOVA, *arguit non substantiam Dei, sed essentialem aliquam Dei qualitatem.*

Ergo nulla nomina præter hebraicum IEHOVA *significat Dei substantiam, sed essentialem qualitatem.*

Resp. Est fallacia notationis: Notatio recte arguit nomen suum, & vicissim ab eo arguitur, pro vi argumentorum primorum, ex quibus oritur.

At significationem nominis omnem ex sola notatione æstimare, id frivolum est. Nomina enim quædam rebus imposita sunt, quarum notationem prorsus ignoramus.

Et

et certam significationem habent usu probatam, Quædam etiam nomina rebus sunt imposita ex parte aliqua, ex accidente aliquo, quæ res notatione etiam exprimuntur: attamen ipsum totum, et rem subjectam simul significant. Sic homo dictus est ab humo, ubi notatio materiam ostendit, ex qua non totus homo, sed altera tantùm ejus pars, corpus scilicet factum est. Et tamen in usu homo significat totam substantiam hominis corpore et anima constantem. Sic Mundus græcis dicitur κόσμος ab accidente, ornatu scilicet, & tamen non accidens, sed ipsam universi substantiam significat. Sic nomina Dei, etiamsi notatio propriè attributa arguat, tamen ipsum unicum Deum in tribus personis subsistentem significant. Vox Deus latinis idem significat quod hebræis Iehova.

CAPUT XVI.

De Fallacia distributionis & Inductionis.

DIstributio est, *cùm totum distribuitur in partes: atq; ut hæc totius in partes distinctio dicitur distributio: Sic omnium partium collectio ad constituendum totum, inductio appellatur. Omnis porrò distributio sumitur ex argumen-*

argumentis toti quidem consentaneis, inter se autem dissentaneis.

Hoc generale distributionis fundamentum est, ex quo facilè judicabitur Sophisma inductionis & distributionis. Inductionis Sophisma est, cùm vel omnes totius partes non enumerantur, vel plures, quàm quæ ad totum pertinent, adducuntur, ut:

Sophisma inductionis.

Definire, dividere, argumenta vera connectere, & falsa refutare, sunt partes Dialecticæ.

Ergo his partibus explicatis, tota logica explicata est, nec amplius quid desiderari potest.

Resp. Inductio falsa est, quia omnes partes in antecedente nõ sunt collectæ, sed particulæ saltem quædam inventionis & dispositionis pro veris partibus proponuntur.

ALIUD.

Rhetoricæ partes quinque sunt: Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria & Pronunciatio.

Rhetoricæ non sunt partes quinque.

Ergo illa Rhetorica, quæ has partes nõ explicat omnes, est imperfecta.

Resp. Partium illa enumeratio falsa est: quædam enim in his non sunt genuinæ & nativæ partes: Inventio & Dispositio non Rhetoricæ partes sunt, sed Dialecticæ, ut

ut ait D. Philippus in Rhetoricis: *Rhetorica maximè sibi propriam habet elocutionem: Sæpe enim orator præcepta Dialectica sequitur in docendo, hoc est, inveniendo & disponendo, & addit elocutionem ex Rhetorica.*

Item, Dialect. lib. 4. inquit: *Vetus est divisio Dialectices, in Inventricem & Iudicatricem.* Memoria partim naturalis est, partim methodi luce juvatur. Relinquuntur igitur duæ saltem Rhetoricæ partes: Elocutio & pronunciatio.

ALIUD.

Petrus, Iacobus, Matthæus, Iudas, Bartholomæus, martyres sunt facti.

Ergo omnes Apostoli martyrio vitam finierunt.

R. Inductio est insufficiens, & dissimile Iohannis exemplum reperitur.

Sophisma distributionis.

Distriburionis Sophisma duplex esse, ex superioribus intelligitur. Fallit enim primò, cùm partes non consentiunt cum toto, hoc est, cùm nec omnem, nec solam totius naturã explicant, sed sunt vel angustiores, vel latiores toto: Deinde cùm non dissentiunt inter se oppositis formis, sed coincidunt, ut:

Pœnitentiæ partes tres sunt: Contritio cordis, Confessio oris, & Satisfactio operis.

Ergo nemo potest per pœnitentiam ad Deum redire, nisi illa tria præstiterit.

R. Elen-

Resp. Elenchus eſt diſtributionis: partes cum toto non conſentiunt, quia omnem totius naturam non explicant.

Pœnitentia enim propriè eſt converſio vel reditus ad Deum, ut docet hebraica vox teſchuba, quæ latinis non ſatis feliciter redditur pœnitentia. Principium quidem converſionis ejuſmodi eſt contritio, cordis videlicet dolor ex agnitione peccatorum. Sed per hanc homo ad Deum redire non poteſt: *Nemo venit ad patrem, niſi per filium*, *Iohan. 6.* Fides itaque ſecundò requiritur, quæ Chriſti meritum apprehendat, & per hanc fidem homo juſtificatus ex gratia, ad Deum accedat, Roma. 5. Iohan. 3. Deniq; nova obedientia fidem ſuam probet. Harum duarum partium nulla fit mentio, fides quæ nititur Chriſti merito, prorſus excluſa eſt: novæ obedientiæ, quæ fluit ex fide, nulla habetur hîc ratio. Sed ſupponuntur oris confeſsio, & ſatisfactio operis, quæ inter partes pœnitentiæ numerari non debent. Oris confeſsio magis fructus eſt pœnitentiæ: homo enim corde contritus propter peccata, & lætus propter meritum Chriſti, ore confitetur Domino non ſolùm peccata ſua, ſed etiam lætitiam, fidem & ſpem, quam habet in Chriſto Ieſu. Confeſsio enim oris cum fide cordis eſt conjuncta, Roma. 10. Satisfactio ope-

Pœnitentiæ veræ partes quæ.

ris est prorsus impia & blasphema in filium DEI, qui solus dedit animam suam λύτζον pro peccatis nostris, Matth. 20. Distributio itaq; illa falsa est & impia, ex qua nihil contra nos concludere possunt pontificii.

ALIUD.

Grammaticæ partes sunt quatuor: Orthographia, Prosodia, Etymologia & Syntaxis.

Ergo hoc ordine quatuor hæ partes debent explicari.

Partes Grammaticæ quæ.

Resp. Distributionis partes inter se non dissentiunt: nam Orthographia & Prosodia particulæ sunt ipsius Etymologiæ, à qua divelli, & cui opponi non possunt: Sed Orthographia & Prosodia per illam totam sparsa est, & simul doceri potest.

Distributio porrò alia est, *Integri in membra*, alia *Generis in species.*

Integrum quid.

Integrum *est totum, cui partes sunt essentiales*: Membrum est *pars integri*. h. e. integrum omnem suam essentiam accipit à partibus, & membra essentiã integri complectuntur, singula quidem materiam, conjuncta verò materiam & formam.

Ex quo sequitur: Dato integro omnes partes esse concedendas; & contrà: vel uno membro negato, integrum perfectum non esse. Hinc facilè sophismata judicabuntur, ut:

Ramus

Ramus non tractat doctrinam prædicabilium & prædicamentorum.

Ergo Dialectica Rami non est integra & perfecta.

Resp. Est fallacia distributionis integri in membra. Prædicamenta pro membro artis habentur, cùm tamen nihil essentiæ logicæ contineant. Tota enim Dialectica constat *ex præceptis, modum tractandi, non res ipsas explicantibus*, ait Dn. Philippus in principio lib. 1. Et communis est omnium sententia: *Dialecticam tradere notiones nõ primas, sed secundas.* At prædicamenta non sunt *notiones secundæ*, nec tradunt modum docendi aut disserendi, sed sunt tabellæ *rerum ipsarum*, ut inquit Philippus, *& primæ rerum sensilium notiones*, ut ait Crellius lib. 1. cap. 2. Ergo prædicamenta ad essentiam logicæ non pertinent, nec pro membro artis haberi possunt.

Prædicamenta non pertinent ad Dialecticam.

Prædicabilia verò loci sunt inventionis, quos generaliter, & semel, tradi oportet, non specialiter tantùm ad prædicationes restringi. P. Ramus itaque suo loco ea docuit: Genus & speciem in argumento distributionis: proprium & accidens in loco adjunctorum, differentiam ut fructum oppositionis, quæ ex formis præcipua est, in categoria dissentaneorum, lib. 1. cap. 17.

Prædicabilia nõ rectè vulgo docentur.

Prædicabilia ubi doceat Ramus.

Neque verò tam anguſtam fecit propoſitionum vel prædicationum materiam: Sed omnia inventionis argumenta expoſuit, ex quibus axiomata vel propoſitiones veræ fieri poſſunt, ut:

1. *Mundus eſt à Deo creatus.*
2. *Cometa non eſt ſtella.*
3. *Piſces ſunt in aqua.*
4. *Iohannes eſt filius Zachariæ.*
5. *Quot ſunt capita, tot ſenſus.*
6. *Cælum eſt majus terra.*
7. *Partes logicæ duæ ſunt: Inventio & Iudicium.*

Hæ propoſitiones veræ ſunt & regulares, neque tamen congruunt ad aliquem modũ ex quinque prædicabilibus, ſed in exemplo 1. prædicatur cauſſa de effecto: in 2. diſparatum de diſparato: in 3. ſubjectum de adjuncto: in 4. relatũ de relato: in 5. par de pari: in 6. minus de majore: in 7. partes de toto.

Falſum itaq; hoc eſt pronunciatum, quo aſſeritur, tantùm ex quinque prædicabilibus fieri axiomata vera & regularia.

Piſcat. Reſpon: ad Buſch. Pag. 78 ſophiſticatur ita:

Deus non poteſt mentiri.
Ergo non poteſt omnia.

Reſp. Eſt elenchus diſtributionis. So-

phiſticè

phisticè enim totum negatur ex negatione partis, quæ verè pars non est, nec ulla ratione cum toto consentit. Totum, de quo disputatur, est omnipotentia Dei, h.e. facultas faciendi omnia, quæ vult Deus in cælo & in terra. Argumentum hanc omnipotentiam negans est facultas mentiendi, quasi pars illius. At mentiri vel negare seipsum, non est pars omnipotentiæ Dei: neq; enim istiusmodi effecta potentiæ alicujus sunt, sed potiùs impotentiæ, ideoq; alterius generis, atq; idcirco his negatis, omnipotentia Dei non tollitur.

ALIUD.

Homo est mortalis
Ergo & anima, hominis pars, est mortalis.

Resp. Est fallacia distributionis integri in membra: Nam quod hîc de toto dicitur, non necesse est de qualibet etiam parte dici: Quippe *Integrum non est essentiale partibus*, hoc est, non communicat totam suam essentiam singulis membris, ut quicquid dicitur de integro, id de quolibet membro etiam dici possit. Sed *partes sunt integro essentiales*, ait P.R. lib. 1. cap. 26. hoc est, membra singula materiam integri complectuntur, & conjuncta essentiam ejus constituunt, ideoque quod partium proprium est, id communicatur integro, & rectè de eodem dici pot-

De integro aliquid dicitur propriè, quod tamen de qualibet parte non est dicendum.

De integro verè & propriè dici potest, quod unius partis est proprium.

est, vt *Homo constat ex corpore & anima suis partibus.* Corpus mortale est: animus immortalis, sapiens, &c. Homo itaq; est & dicitur mortalis, propter corpus, quod partem essentiæ ejus constituit: Homo dicitur sapiens, quia anima hominis est sapientiæ subjectum. Non autem ad quamlibet partem id rursus est accommodandum, quod ab una saltem accepit.

ALIUD.

Vox singularem in axiomate constituens partem, tropum potest sustinere.

At verbum, EST, *singularem constituit partem, formalem nempe, ut ait Piscator ad Hoffm. pag. 225.*

Ergo copula potest sustinere tropum.

Copula, est, non constituit partem singularem in axiomate.

R. Est Elenchus distributionis in assumptione. Falsò asseritur, quòd pars axiomatis alia sit formalis, alia materialis. Axioma est integrum: cujus membra singula materiam continent, eaq; per formam conjunguntur. Forma autem hæc est in vinculo: Materia *sunt argumenta.* Membra rectè dicuntur partes integri materiales, quia materiam complectuntur. Axiomatis autem tot membra sunt vel partes, quot sunt argumenta. Ex argumentis enim constat axioma.

Axiomatis membra quæ.

At

At argumenta tantùm duo ſunt,ut docet definitio Rami: *Axioma eſt diſpoſitio argumenti cum argumento.* Duæ igitur tantùm ſunt axiomatis partes. una antecedens, altera conſequens, quas uſitatè vocant *ſubjectum & prædicatum.* Hinc P. Ramus poſtea ſyllogiſmum ſimplicem definit, *in quo quæſtionis pars* conſequens *diſponitur in propoſitione, pars* antecedens *in aſſumptione.*

Quod ſi copula, EST, inter hæc duo argumenta interjecta, eſt pars axiomatis, etiam argumentum eſt. Et ſic tria argumenta ſunt in axiomate, quod eſt abſurdum. At, inquit Piſcator: *Vera iſta ſunt de partibus materialibus. Ego verò loquor de formali: copula autem eſt pars formalis.*

Ego verò nego ſic rectè partes diſtingui in Materiales & formales. Forma nullo modo rectè dicitur pars vel membrum rei. Rationes ſunt hæ:

Nulla pars eſt formalis.

1. Quia membra ſingula ſuis formis inter ſe ſunt diſtincta & per ſe ſubſiſtunt. At forma totius non eſt pars diſtincta à reliquis partibus, per ſe ſubſiſtens, ſed in omnibus partibus conjunctis hæret.

Ergo forma totius non eſt pars ſingularis.

II. Partes totius ſunt, in quas integrum diſtribuitur.

At in materiam & formam nunquam distribuitur totum, sed saltem in membra materiam complectentia: *Dialectica in Inventionem & judicium: Homo in corpus & animam: domus in tectum, parietes, pavimenta,&c.*ubi forma nullam partem constituit. Ergo sola membra materialia sunt partes, non forma.

Ridiculum est hoc pontificiorum argumentum:

Omnes qui biberunt ex calice, fuerunt Apostoli.

Ergo Laicis non licet bibere.

Cœnæ calix non est detrahendus Laicis.

R. Est Elenchus distributionis, quo ex negatione proprii unius speciei, negatur communis affectio totius generis: ídque valdè viciosè.

Species suis formis sunt inter se distinctæ.

Nam *Genus est essentiale singulis speciebus*, inquit P. Ramus lib. 1. cap. 27. hoc est, omnia quæcunque sunt generis, cuilibet speciei attribui debent. Species autem cùm partes sint generis, etiã propriis formis inter se sunt distinctæ. Quælibet igitur species communem generis naturam participant, licet unius proprietas alteri non communicetur.

Sic Apostoli & Laici, doctores & auditores pariter sunt Christiani, atque omnium Christianorum commune bonum est par-

participatio totius Sacramenti, & ſic etiam ſanguinis Chriſti cum vino præſentis, ut habent verba inſtitutionis: *Bibite ex hoc omnes, hic calix eſt novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur.* Non autem pro Apoſtolis tantùm effuſus eſt, ſed pro omnibus. Adhæc Apoſtolus Paulus ſcribit Eccleſiæ Corinthiorum, quæ collecta erat ex laicis & Doctoribus: *Quotieſcunq; comederitis panem hunc, & hoc poculum biberitis, &c.* Ad omnes igitur Chriſtianos, qui ſe Chriſti profitentur diſcipulos, totum hoc teſtamentum pertinet. Inter ſe autem diſtinctæ ſunt ſuis propriis: Apoſtoli & Paſtores docent: Laici docentur. Horum alterum de altero negato, communis tamen generis affectio negari non poteſt. Laici ergo etiamſi non ſint Apoſtoli, ad participationem calicis tamen ſunt admittendi. Aliàs & ſic concludere liceret: *Omnes qui comederunt, fuerunt Apoſtoli: Ergo Laicis non licet comedere.*

ALIUD.

Res hæc eſt animal.
Ergo eſt homo.

ITEM:

Homo non eſt.
Ergo animal non eſt.

R. Sophiſma eſt diſtributionis. Genere affirmato, non quælibet eſt affirmanda ſpecies, ſiquidem plures ſub uno genere continentur: nec contrà, una negata ſpecie, totum genus eſt negandum.

CAPUT XVII.

De Elencho Definitionis.

Definitionis Elenchus.

DEfinitio quid res ſit explicat: illáque vel ex ſolis cauſſis rei eſſentiam conſtituentibus, vel aliis etiam argumentis conſtat. Omnis autem definitio reciproca eſſe debet, ut cum ſuo definito poſsit converti, h.e. ut ait Dn. Philippus, Ne ſit latior, nec anguſtior ſuo definito. Hinc definitionis Sophiſma facilè intelligetur, cùm ſcilicet vel falſa, vel aliena, vel non reciproca, ad rei demonſtrationem adhibetur definitio.

Sic Vbbius Emmon contra Hoff. argumentatur, pag. 47.

Species rectiſsimè ex natura ſui generis judicatur, hoc eſt, (ipſo interprete) ſpeciei forma ac ratio eſſentialis non poteſt à forma ac ratione generis, aut natura illius ab hujus diſsidere, alioqui enim ſpecies iſtius generis non eſſet.

Sed cœna Domini eſt ſpecies ſacramenti, cujus totius generis hæc ratio & forma eſt, ut conſtet ex ſignis externis ac viſibilibus, & ſigna-

tus

tis internis ac cœlestibus rebus, illáque signa externa, ordinata divinitus sint ad testificandam rei signatæ, cœlestis, in legitimo usu veram exhibitionem.

Ergo cœna Domini ex natura generali sacramentorum æstimanda est, quòd scilicet illis externis signis testatum fiat, Christi corpus pro nobis in mortem esse traditum: illúdque credentibus saltem exhiberi.

Resp. Est fallacia definitionis in propositione & assumptione:

In propositione speciei natura imperfectè definitur, & sic judicatur ex natura generis.

Speciei quæ sit natura.

Species enim non tantùm participat communem totius generis (quod singulis suis partibus essentiale est) naturam, sed præterea etiam habet propriam formam vel differentiam, qua ab aliis speciebus distingui possit: unde in scholis docetur : *Plus esse in specie, quàm fuit in genere*. Idque P. Ramus monere videtur, cùm ait : *Species est pars generis*. Suprà enim, cap. 25. docuerat, distributionem *esse debere ex partibus inter se dissentaneis*. Dissensio autem partium differentiam gignit, ut habet clausula dissentaneorum, cap. 17. Si igitur species est PARS generis, etiam dissentire

tire debet à speciebus aliis. Si dissentit, dissentit utique per propriam formam aut differentiam.

Si propria speciei forma vel differentia est, non habet eam ex genere, alioquin non unius speciei propria forma est, sed æqualiter pertinet ad omnes.

Tota speciei natura ex genere judicari non potest.

Si totum esse suum ex genere non habet, non potest etiam tota speciei natura ex solius generis natura definiri & judicari: communis inquã speciei affectio ex genere rectè judicatur; Specialis autem & propria minimè. Agè, res exemplo declaretur. *Animal* Genus est: *Homo & Bestia* species.

Si jam hominis natura tota judicanda est ex genere, nec ejus essentialis forma dissidet à generis natura (ut putat Ubbius) nihil amplius erit homo, quàm corpus vivum & sentiens: Idem autem & bestia est: hominem ergo dicas.

Animam autem rationalem præterea habet homo, eámque non à genere, à cujus natura illa maximè differt: animalis enim natura corporea est & mortalis: anima autem incorporea & immortalis.

Ruit ergo propositio Vbbii, & fit manifestum ex his, *in specie quædam esse, quæ ex genere judicari non possunt: nec removeri debere à specie, quæ in genere non reperiuntur.*

Assum-

Aſſumptio Elenchum ſimilem complectitur. Perperàm enim definit Sacramentum, quod conſtet *ex ſignis externis viſibilibus, & rebus ſignatis internis, inviſibilibus, illisq́ ſignis externis ſignificari ſaltem res ſignatas abſentes.* Hæc enim vera ejus ſententia eſt, ut docet contextus, licet aliis coloribus lectorem circumducat.

At imperfecta hæc & falſa eſt Sacramentorum definitio. Verè dicitur, quòd Sacramenta *conſtent verbo & elementis externis, in quibus aliud ſenſibus videatur, aliud ex verbo & juxta verbum intelligatur.* Quòd verò ſignis externis res abſentes ſaltem ſignificentur, id prorſus falſum eſt, nec hactenus ex verbo Dei demonſtrari potuit. Nullus enim extat in ſacris literis apex, qui doceat *generalem Sacramentorum naturam hanc eſſe, ut externis ſignis res internas abſentes ſignificent.*

Sacramenti generalis natura quæ.

At verò generalem talem affectionem colligere ex ſpeciebus vanum eſt, cùm non ſolùm reliquæ ſpecies contrarium doceant, ſed etiam cœna Domini ſingulariter rei inviſibilis cum viſibili præſentiam complectatur. Cœna hoc commune habet cum Sacramentis aliis, quòd conſtet verbo & elemento, quo res non abſens, ſed præſens ſignificatur. At quæ ſpecialis ſit cœnæ materia

teria & forma, qua differt ab aliis Sacramentis, id tantùm ex ſpeciali inſtitutione Chriſti eſt diſcendum.

Hæc docet, quòd externum elementum ſit PANIS & VINUM, de illo affirmat, quòd ſit CORPUS ſuum, de hoc, quòd ſit SANGUIS ſuus, quarum utraque locutio realem corporis Chriſti cum pane, & ſanguinis cum vino, præſentiam notat, ut ſuprà docuimus. Si igitur maximè non intelligatur hæc ſpecialis præſentia ex communi generis natura, tamen ideo de ſpecie negari non debet.

Et ſi maximè reliquorum Sacramentorum commune eſſet, rebus externis ſignificare res internas abſentes (quod tamen demonſtratum nondum eſt) non tamen de toto Sacramentorum genere affirmari poſſet, quòd vel unius ſpeciei inductio, cœnæ ſc. conſideratio contrarium doceat.

IDEM pag. 52.

Cùm ſignata res de ſigno dicitur, eſt Metonymia.
At in verbis cœnæ res ſignata dicitur de ſigno.
Ergo in verbis illis eſt Metonymia.

Reſp. Sophiſtica eſt definitio. Non enim Meto-

Metonymia est, cùm vox de voce prædicatur, sed cùm in axiomate *vox pro voce* ponitur. Atque ut adjuncti metonymia est, cùm *ex signo nominato intelligitur res signata:* Ita subjecti metonymia est, *cùm res signata nominatur, & signum intelligitur.* Vide plura de hac ipsa re suprà, cap. 5. lib. 1.

Metonymiæ definitio vitiosa.

ALIUD.

Animal bipes est homo.
Gallina est animal bipes.
Ergo Gallina est homo.

R. Elenchus Definitionis in propositione. Genus enim & commune adjunctum rem non perfectè describunt.

Et tantum de argumentis Artificialibus.

CAPUT XVIII.

De dolo Testimoniorum.

Inartificiale argumentum testimonium dicitur, idque divinum est vel humanum.

Testimonii fallacia in rebus divinis.

In rerum divinarum tractatione fallit testimonium, cùm plus humanę autoritati, sententiis patrum, decretis pontificum, rationibus philosophicis tribuitur, quàm Scripturæ sacræ: quæ Sophistica frequens

est apud pontificios & Sacramētarios. At in rebus divinis sacra scriptura sola debet esse norma veritatis. Rectè inquit D. Philippus: *In doctrina Ecclesiæ autoritas divina primus, & præcipuus, & firmißimus locus est, nec aliter de essentia aut voluntate Dei, aut de cæteris articulis fidei asseverandum est, quàm quòd Deus tradidit in scriptis Propheticis & Apostolicis.*

Testimonii divini autoritas.

Ideoque teneatur hîc Augustini illud: *Quod sine autoritate sacrarum literarum asseritur, eadem, qua asseritur, facilitate, rejicitur.*

Piscator ad Busch. pag. 85. ita disserit: Probabilius est, Christum aperuisse fores, quàm clausas penetrasse.

Ergo ingressus est ad discipulos non per clausas fores, sed per apertas.

Resp. est Sophisma testimonii alieni in rebus Theologicis. Nam in rebus divinis non id pro vero est habendum, quod testimonio humanæ rationis verum judicatur: sed quod perspicuis et claris scripturæ verbis affirmatur. Textus scripturę apertè ait: cùm clausæ essent januæ, venit Iesus, et stetit in medio ipsorum. Etsi verò probabilius videtur rationi, Christum priùs aperuisse januas, tamen id testimonio Spiritus sancti est contrarium. Illa igitur Piscatoris Theologia, quam probabilitate rationis metitur, explodenda est.

In

In rebus humanis artium præsertim constitutione, cùm exquisita rerum veritas subtiliùs inquiritur, perexiguam probandi vim testimonium habet: Sophisticè igitur disputatur, cùm solidis fundamentis & firmis rationum ponderibus, autoritas hominum, non rectè sentientium, anteponitur. Rectiùs Cicero in paradoxo 1. ait: *Plus apud me vera valebit ratio, quàm vulgi opinio.* Et alibi Pythagoricum illud, ἀυτὸς ἔφα, ipse dixit, rectè improbat & rejicit. Dn. Philippus ait: *Constat, in Philosophia, in materiis, in quibus reperiri demonstrationes possunt, universaliter plus valere demonstrationes, quàm autoritatem.*

Testimonii vis in artibus. Ratio in Philosophia autoritati præponenda.

In politicis actionibus leges gravissimis rationibus approbatæ, & longo usu receptæ, valent: quæ verò abolitæ & abrogatæ sunt, nihil omnino demonstrant.

Leges politicæ.

Testium testimonium non simpliciter acceptandum est: & si maximè virtus, prudentia & benevolentia adfuerint, rationibus tamen undiquaque conquisitis, dictorum veritas est investiganda. Sic Daniel mendacium judicum libidinosorum deprehendit. Sed hac de re consulantur libri Iuris.

utrumq; porrò testimonium fit Sophisticum, & fallit dupliciter.

Testimonii dolus duplex.

1. Cùm non integrum, sed mutilatum recitatur. Sic Matth. 4. Diabolus fallere conatur:

Scriptum est, Psal. 91. Angelis suis mandavit de te, ut portent te manibus suis, ne tu offendas ad lapidem pedem tuum.

Ergo sine periculo potes te dimittere de culmine tecti.

Resp. Dolosè citatur testimonium mutilatum, quia hæc verba erant addenda: *In omnibus vijs tuis.*

Eadem fide solent Iesuitæ nostrorum doctorum testimonia allegare.

Sic Piscator ad Hoff. pag. 152. disserit: *Lutherus in suo Catechismo rectè tradidit, quòd verbum* PRO VOBIS, *mera credentia corda postulet.*

Ergo fides tanquam pars necessaria ad Sacramenti constitutionem requiritur.

Resp. Lutheri testimonium mutilatè citatur: integrum sic est: *Ille se dignè ad hoc Sacramentum sumendum paravit, qui his verbis credit: qui verò non credunt, illi omnino indignè hoc sacramentum sumunt: verbum enim* PRO VOBIS, *postulat mera corda credentia.*

Ex his verbis intelligitur Lutherum loqui de salutari usu cœnæ, & fructu consequendo

quendo per fidem, non de substantia aut partibus cœnæ, de quibus agit Piscator.

2. Fallit testimonium, cùm alio sensu detortum adducitur, vt Lucæ 1. argumentantur Papistæ:

Maria est gratia plena.

Ergo gratia sua nos potest facere beatos.

Resp. Est fallacia testimonii non rectè intellecti. Angelus vocat Mariam gratia plena non *activè*, quasi possit gratiam transfundere in alios, sed *passivè*: est enim κεχαριτωμένη, quæ gratiam & favorem invenit apud Deum, vel est in gratia apud Deum.

Sic Lucæ 7.

Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.

Ergo dilectio est caussa remissionis.

Dilectio non est caussa remissionis peccatorum, sed effectum.

Resp. Est Elenchus testimonii malè intellecti. Ratio enim arguens hîc peccatorum remissionem, non caussa est, sed effectum. Quæstio enim Christi erat non de dilectione, sed de remissione: an mulieri peccata essent remissa, quam affirmat & demonstrat effecto, *Quia dilexit multum*. Argumentatio itaque Christi sic est:

Is qui multum diligit, ei multa etiam sunt remissa peccata: id quod ex similitudine allata

intelligitur, in qua remiſsio debiti præcedit dilectionem, ut cauſſa effectum.

At hæc multum me dilexit : quod aliquot ejus effectus demonſtratur.

Ergo multa peccata ei ſunt remiſſa.

Rectè itaque particula ὅτι per quia redditur, non per ideo, quia argumentum aliquod demonſtratur, & non cauſſa, ſed effectum.

Sic itaque ſemper autor teſtimonii eſt conſulendus, & ex collatione membrorum textus, verus ſenſus eliciendus.

IN-

INDEX RERVM VA-riarum, quæ hoc opuſculo tractantur.

A

 beri

Fidei

Signum

T.

V.